

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**


**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Dissertatio theologica De dictionibus Veteris Testamenti in  
novo allegatione**

**Major, Johann  
Kesler, Andreas**

**Jenae, 1718**

[urn:nbn:de:bsz:31-130444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130444)



60 A 2691,1

EX  
BIBLIOTHECA  
ILLUSTRIS  
CAROLI HESYCHEI.

66723

DISSERTATIO THEOLOGICA  
DE  
**DICTORUM  
VETERIS TESTA-  
MENTI**

**IN NOVO ALLEGATIONE,**

Quam

*DEO FELICITER ANNUENTE,*

VENERANDO PLURIMUM COLLEGIO THEOLOGICO  
IN ILLUSTRIS ACADEMIA JENENSI DECERNENTE,

*SUB PRÆSIDIO*

Viri admodum Reverendi, Clarissimi, & Excellentissimi,

**DOMINI**

**JOHANNIS MAJORIS,**

S.S. Theol. D. ejusdemque P. P. Ecclesie ibidem Pastoris, ac super-  
intendentis dignissimi, p. t. Rectoris Magnifici,

PRÆCEPTORIS, ET FAUTORIS SUI OMNI ANIMI OJSER-  
VANTIA COLENDI,

**PRO LICENTIA**

CONSEQUENDI SUMMUM IN THEOLOGIA GRADUM

Publice in Auditorio Theologico die 17. Augusti tcta  
ad disputandum proponit

**M. ANDREAS KESLERUS,**

Coburgo Francus, Ecclesie Eisfeldensis  
Pastor & Superintendens.

JENÆ, LITERIS KREBSIANIS, *Recusa*, MDCCXVIII.

1718

DISSERTATIO THEOLOGICA

DE

DICTIONUM  
VETERIS TESTA-  
MENTI  
IN NOVO ALLEGATIONE

Quam

Deo Patre et Spiritu Sancto

in Universis Academiae Theologicae

et Praesidio

Vniuersitatis Rhenanae, Carolinae, & Palatinae

D. O. M. N. I.

IOHANNIS MAJORIS

SS. Theol. et Historiae P. F. et Phil. P. F. et

Philosophiae P. F. et Praesidii P. F. et

PROLOGUS

COMPTURUS SUMMUM IN THEOLOGIA GRADUM

Exhibuit in Auditorio Theologico

et adhibuit propositum

M. ANDREAS KESSELBRUNN

Collegio Francisci, Ecclesiae Rhenanae

Patris & Praesidii

LENÆ, LITÆRÆ KESSELBRUNN, MDCCLXXIII.



ILLUSTISSIMI AC CELSISSIMI  
PRINCIPES AC DOMINI,  
DN. JOH. CASIMIRE,  
ET  
DN. JOH. ERNESTE,  
FRATRES GERMANI, DUCES SAXONIÆ, JULIÆ,  
CLIVIÆ AC MONTIUM, LANDGRAVII THURINGIÆ,  
MARGGRAVII MISNIÆ, COMITES DE MARCA ET RAVENSPURG,  
DOMINI IN RAVENSTEIN, &c. PRINCIPES AC DOMINI  
CLEMENTISSIMI.

**Q**uod Ethnicus Poëta suo tempore monuit:  
*Tunc cede malis, sed contra audentior ito,*  
illud ad religiosæ pietatis negotium applicatum,  
sibi ipsi identidem, cordatus Ecclesiæ minister  
quisque fas est, ut inculcet. Vertiginis spiritus de studio  
navicula Christi variis, iisque infandis hæreson turbinibus  
concutienda nihil quicquam remittit, quin imo indies tur-  
bulentius rem agit: Bellorum vero incendiis, quæ per  
totum Christianum orbem furibundo conatu Draco infer-  
nalis excitavit, quid moliatur, experientia ipsa loquitur.  
Sunt sane seculi nostri mala tanta, ut cujus animum non  
percellant profundo securitatis somno non tam fuerit,  
quam sopitus. Verum enim vero moveri oportet ani-  
mum, non frangi.

Quo

Quo majori impetu lupus infernalis in ovile Christi irruit, eò alacriori Spiritu boni Pastores excubent, neque quicquam eorum intermittant, quibus ad illud defendendum ornandumque Christo, Pastorum Principi 1. Petr. 5, 4, ejusque ovibus servire possint. Ergo igitur hujus consideratio effecit, ut animo, sed submisso, inquietimore DEI humili constituerim, Doctoratu Theologiæ, si honestis conatibus divina benedictio affulgeret, impetrato, ad majorem DEI gloriam Ecclesiæ emolumento litare: Quod norim, publicæ orthodoxæ doctrinæ, vitæque testimonia, officiorum etiam Ecclesiasticorum quosdam quasi muros esse. Quem in finem Dissertationem hanc Theologicam pie eruditorum censuræ subjectam publici juris facio. Totum hoc negotium, Patres Patriæ, Vestris auspiciis suscipitur, imo post Regem Regum, & Dominum dominantium totum Vestrum est. Itaque, dum inauguralem hanc Disputationem V. V. C. C. subjectissima devotione nuncupo, id facio, quod me debere, conscientia, fides, officium dicitur. Nulla ut dubitandi causâ mihi sit, quin Serenos Principis Gratia vultus hic ingenii foetus, DEO annuente, consequatur. Pater ille misericordiæ Vos, Patriæ Patres, terris nostris, Reipublicæ, Ecclesiæ diutissime sospites conservet, & omnia adversa clementissime avertat. Ita animo ardenti voveo! Jenæ, Dominica lacrymarum Christi, Anno M D C XXXVII.

V. V. C. C.

*subjectissimus*

M. ANDREAS KESLERUS.



D. O. M. A.  
DE  
DICTORVM V. T. IN NOVO  
ALLEGATIONE.

THESIS I.



Uod Vetus Testamentum in Novo diversis modis invenitur, ejus plures rationes afferri possunt. *Prima est autoris Principalis identitas.* Unus & idem Spiritus, qui locutus est per Moſen & Prophetas *2. Petr. 1, 21.* à Spiritu S. impulſi locuti ſunt ſancti DEI homines, *Luc. 1, 70.* DEUS Iſrael locutus eſt per os Sanctorum, qui a ſeculo fuerunt, Prophetarum ſuorum, & qui dedit Apoſtolos, Prophetas, Doctores in N. T. *1. Cor. 12, 28.* *Secunda, fidei indentitas,* quod ad fundamentum attinet. Quauquam enim 1. rituum, 2. hiftoriarum, 3. cognitionis, 4. fœderis &c. reſpectu, alia ſit ratio V. alia N. T. idem tamen eſt poſt lapſum juſtificationis modus in eſſentialibus, ita vt per gratiam Domini Jeſu Chriſti nos ſalvemur, ſicut & Patres, *Actor. 15, 11.* *Tertia, autorum N. T. conditio.* Didicerant illi V. T. ſcripta, antequam ad munus ſcribendi & prædicandi in N. T. vocarentur, uti de ſeiſo ſcribit Paulus *Actor. 12, 3.* *Educatus ſum in hac civitate ad pedes Gamalielis, inſtitutus accurate in Patria lege.* Simples quidem fuerunt piſcatores Apoſtoli, Petrus, Johannes. &c. Sed non putandum, eos V. T. ignaros fuiſſe, in materiis ſacris minime exercitatos, quod vel ex illo *Johann. 1, 45.* conſtat: *Reperit Philippus Nathanael, & dicit ei, de quo ſcripſit Moſes*

Cauſæ Vet.  
Teſtamenti  
in N. repe-  
titi.

ses in lege, & Propheta, invenimus Jesum filium Joseph Nazarenum. *Quarta, refutatio objectionis Judaicae*, ne opponere possent Judæi, Christianos rejicere V. T. quanquam non desierunt calumniari, ut patet *Actor. 6, 13.* Homo iste non cessat loqui verba contumeliosa adversus locum sanctum hunc & legem. *Quinta, assertio autoritatis N. T.* quod concio de Christo non novam introducat doctrinam, sed fundata sit in V. T. cum omnes Propheta Christo testimonium ferant, quod remissionem peccatorum accepturus sit, per nomen ejus, quisquis crediderit in eum, *Actor. 10, 43.* *Sexta, assertio autoritatis V. T.* apud Christianos, quorum non est abjicere Moysen & Prophetas, sed in iis Christum querere. Ita Paulus Timotheo sacras literas commendat, V. nempe Testamenti, quas Ille a puero didicerat. *2. Ep. 3, 15.* *Septima, harmonie biblice ostensio.* Quod Moyses & Christus, Propheta & Evangelista ac Apostoli amice conspirent, nec in doctrina se mutuo ullatenus impugnent. Videatur *Matth. 19, 8.* ubi Christus Moysen non rejicit, licet repudium ab illo concessum abroget, sed explicat. *Octava, excitatio ad studium conferendi inter se V. & N. T. libros.* Evangelista & Apostoli, ad V. T. nos in N. deducunt, ut in illo contemplerur figuras, in hoc corpus, in illo vaticinia, in hoc complementa, in illo fundamenti positionem, in hoc positi explanationem.

II. Inde sequentia fluunt Porismata: *Necessarium fuit, Porisinata, Verbum Dei literis consignari*, necessitate nimirum non absoluta, sed i. ea, quæ respicit rō bene esse, 2. ea, quæ ex hypothesi, tum ex parte Dei volentis, tum ex parte Ecclesie, contra *Bellarmin. l. 4, de Verbo Dei c. 4.* qui de necessitate Scripturæ minus dicit, quam debebat. 2. *Ecclesia alligata est ad Scripturam sacram scrutandam, meditandam, evolvendam, ad fidem fulciendam contra Costerum*, asserentem in *Enchirid. p. 42.* quod Christus nec Ecclesiam suam a chartaceis scriptis pendere, nec membranarum mysteria sua committere voluerit, sed sublimiori charactere usus fuerit, scribens digito DEI in corde Ecclesie. 3. *Vetus Testamentum ejusdem est autoritatis, cum N. contra Photinianos*, statuentes, non tantum N. T. non agnoscere V. pro fundamento, sed il-  
lius

lius testimoniis ad maiorem fidem faciendam uti, *Socini in misc. p. 22.* verum etiam non multum referre, quid Prophetæ de cultu divino dixerint. *Smalel. in refut. Smiglec. p. 79. 4.* Non improbandum est eorum studium, qui ex temporibus & eventibus Ecclesiæ V. T. de temporibus & eventibus N. T. conjiciunt. Ipse Christus præit *Matth. 24. 38. Luc. 17. 26.*

III. Porro quatuor potissimum modis V. T. in N. invenitur. Nam 1. Solenne est, ut loquentes in N. T. formula loquendi ex V. T. utantur. Ita Maria in Cantico suo *Luc. 1. v. 46. & seq.* phrasas petit ex *Esa. 51. 9. Psal. 33. 10. Psal. 34. 11. Esa. 29. 15. &c.* Zacharias *Luc. 1. v. 68. & seq.* carmen suum componit ex *Psal. 132. 17. Malach. 4. 2. Zach. 3. 15. &c.* Simeon cantionem cygneam adornat ex *Esa. 49. Luc. 2. 29. & seq.* Ita Petrus 1. *Epist. 1. 24.* cum *Esa. 40. 6.* loquitur. Christus ipse cum & ex eodem *cap. 55. 1. Job. 7. 35. 2.* In N. T. interdum ad facta, & sermones V. T. alluditur. Exempla sunt in Apocalypsi obvia *c. 6. 16.* alluditur ad *Esa. 2. 10. c. 11. 5.* ignis exit de ore duorum testium, & alluditur ad *Jerem. 5. 14.* Ibidem alluditur ad historias Mosis *Num. 16. 35. & Eliæ 4. Reg. 9.* In eod. *c. v. 6.* alluditur ad historiam *1. Reg. 17.* & plagam Ægyptiacam *Exod. 4. c. 16. 21.* alluditur ad *Exod. 9. 24. Jos. 10. 11. & c. 3.* In N. T. multoties historia V. T. repetuntur. V. G. historia Noæ allegatur *Luc. 17. 27.* erectio serpentis ænei *Johan. 3. 14.* Stephanus historiam Patriarcharum & Mosis repetit *Actor. 7. 2. & seq.* Et aliis quam plurimis in locis N. T. ex V. historiæ adducuntur. Dubium hic oritur de historia altercationis Michaelis & Diaboli super corpore Mosis, quam cum recitet *Judas v. 9. Epist. in V. tamen T. non legitur, Junius in parallel. p. 586.* per Michaellem intelligit Christum, per corpus Mosis complementum legis Mosaicæ, quod per Josuam Sacerdotem maximum adumbratum fuerit, ut ita historia illa repetita censeatur ex *Zachar. 3. 1. & 2.* Quam sententiam minus probabilem reddere videtur, quod a Juda Apostolo recitatur historie, *Zachar. 3.* verò describitur visio, & quod nullum afferatur fundamentum, quo doceatur corpus Mosis idem esse, quod Christus, in primis in loco historie, licet ceremoniæ legis Mosaicæ umbræ dicantur, Christo verò corpus tribuatur *Coloss. 2. 17.* Communis sententia est, Judam historiam

storiam illam ex traditione accepisse, quomodo etiam Paulus 2. *Timoth.* 3, 8. nomina magnorum Ægyptiorum, Janes & Jambres recitet. Vestigia etiam historiarum videntur esse *Deut.* 34, 9. Fuerunt, qui propter illam causam negarent Epistolam Judæ esse canonicam, Verum ratio est insufficientis. Si enim licuit in Canonicis allegare scripta Ethnicorum: cur non licuerit inferere historias per traditionem cognititas? 4. in *N. T.* usitatissimum est *Dictorum V. T.* allegatio. Nam sunt quidem libri *N. T.* in quibus dicta *V. T.* non expresse, quantum inspectio docuit, allegantur, nempe Epistolæ ad *Philippenses*, ad *Colossenses*, 1. *Thessalon.* 2. *Thss.* 1. 2. ad *Timoth.*, ad *Titum*, ad *Philemonem*, 2. *Petr.* 1. 2. & 3. *Johannis*, *Judæ* & *Apocalypsis*, in quibus tamen plerisque omnibus verba *V. T.* & modi loquendi occurrunt: in reliquis autem dicta *V. T.* subinde allegantur.

Porismata.

IV. Hinc sequentia Porismata colliguntur. 1. *Theologi est, cum & ex Scriptura loqui in 1. disputationibus. 2. concionibus. 3. lectionibus. 4. precationibus.* Cùm enim hæc sit fundamentum Theologiæ, vere fundamentaliter loquitur, qui ex ea loquitur. Interim nec omnino interdicitur est Ecclesiæ *ὀνομαστικῆς*, ob distinctiorem explicationem veritatis contra hæreticos, nec improbandus terminorum Philosophicorum usus apud Theologos, modo abusus caveatur. Proinde nullo jure *Photiniani* contra Evangelicos urgent, quod vox *Trinitatis*, ac *satisfactionis* non expresse habeatur in sacris literis, quasi vero ad negationem dogmatis a negatione nominis valeat consequentia. Sed ipsis etiam Photinianis testibus infirma est hæc collectio. *Socin. in defens. animadvers. p. 450. 2. Scriptura perfectio non est æstimanda ex historicis, sed ex dogmaticis ad salutem necessariis.* Vetus Testamentum fuit volumen Canonicum perfectum, etiamsi non contineret altercationem de corpore Mosis. Similiter *N. T.* non est imperfectum, nec tota scriptura, quod multa, quæ fecit Christus, non sunt scripta *Job.* 20, 30. Male ergo argumentantur ex illa omissione Pontificii pro imperfectione Scripturæ, *Belarm. l. 4. de V. D. c. 5.* quibus unum hic opponimus: Si ommissio factorum & historiarum infert imperfectionem Scripturæ, ne quidem Pontificiorum norma erit perfecta; Verbum

bum nempe DEI, ut sub se continet Scripturam & traditio-  
nes, quandoquidem omnia CHRISTI facta nec in traditio-  
nibus Pontificiis continentur. Sin perfectio non periclitat-  
ur, ob omissionem multorum signorum, quæ DEUS fecit,  
argumentum Pontificiorum nullum est, & a statu contro-  
versæ alienum, quoniam major, si recte rem æstimamus,  
talis erit: *Quæcunque Scriptura non continet omnia signa, quæ  
Christus fecit, illa non continet omnia dogmata ad salutem necessa-  
ria.* Subsumitur: *Sacra Scriptura est talis. Joh. 20, 30.* Ergo,  
In maiore nulla plane est coherensio.

V. De allegatione Dictorum V. T. in N. hac vice ob  
usum maxime insignem, cum DEO propitio, agemus.  
Quod ut ordine fiat, considerabimus illam ratione 1. ipso-  
rum dictorum, quæ allegantur. 2. autorum, qui allegan-  
tur. 3. autorum, qui allegant. 4. verborum, quibus alle-  
gata constant. 5. verborum, quibus fit allegatio. 6. sensus,  
allegatorum. 7. coniunctionis plurium locorum. 8. usus,  
quo allegata adhibentur.

Ordo tra-  
dationis.

## CAPUT I. DE DICTIS IPSIS, quæ allegantur.

VI. Dicta, quæ ex V. T. in N. allegantur, in quadru-  
plici differentia esse videntur. *Primo enim adducuntur nuda  
sententia, ut Matth. 4, 10. allegatur locus Deuter. 16, 13. Domi-  
num Deum tuum adorabis, & illum solum coles. Rom. 3, 4. allega-  
tur Psal. 31, 6. ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas, cum ju-  
dicaris.*

CAP. V.  
De diversi-  
tate dicto-  
rum V. T.

VII. 2. Allegantur vaticinia, & quidem vel ut completa, vel  
ut complenda suo tempore, vel ut partim completa, partim complen-  
da. Ut completum. Petrus Act. 2, 25. & seq. adducit loca,  
Psal. 16. & Psal. 110. de resurrectione & ascensione Christi lo-  
quentia. Ut complendum allegat Paulus Rom. 11, 26. locum Esa.  
59, 20. *Adveniet ex Sion ille qui liberat.* Futurum enim esse in-  
nuit, ut magna Judæorum copia ante extremum diem con-  
vertatur ad Christum, quod intelligitur ex toto contextu-

B

Loqui-

Loquitur de Judæorum gente, gentilibus opposita. E. non intelligitur Israëlita secundum fidem, ut *Rom. 9. 7.* sed ii, quibus excecatio facta erat. *vers. 25.* Loquitur de conversione post introitum gentium & post excecationem. Ergo de futuro. Loquitur ad gentiles conversos præmonendos, ne contemnant Judæos, qui cum naturales sint, propriæ oleæ facilius inseri possint. Ergo de populi Judaici futura conversione vaticinatur, qua, licet non omnes omnino Judæi, tamen magno numero sint convertendi. Ut *partim completum, partim complendum*, Petrus allegat *Actor. 2. 16. & seq. locum Joel. 2. 28. & sequent.* Prius enim membrum de effusione Spiritus Sancti complementum suum assecutum fuit die Pentecostes: alterum *vers. 19. 20. 21.* non immerito ad tempus judicio extremo proximum refertur, vel certe tempora Apostolorum ætatem secuta respicit.

VIII. 3. *Allegantur dicta, quæ continent facta nude adhibita sine relatione typi.* Ita Christus *Marc. 2. 25.* allegat locum *1. Sam. 21. 6.* & argumentatur vel a pari, vel a majori ad majus. Dissensus in allegatione quidem apparet quoad nomen Sacerdotis, quoo in V. Test. est Abimelech, in N. Abiathar. Sed contrarietas hæc non est, nisi apparens, quandoquidem idem potuit esse duorum nominum, vel filius sub patre paterno officio fungi; quæ est sententia Hier. Paulus *Rom. 4. 3.* allegat historiam *Gen. 15. 16.* *Credidit Abraham DEO, & imputatum est ei ad justitiam*, refutans justificationem hominis ex operibus. Argumentum vero Apostolicum non est simpliciter a singulari ad universale hunc in modum: *Abraham fuit justificatus fide sine operibus. Abraham fuit homo peccator. E. omnes homines peccatores ita justificantur*, qualis argumentatio formaliter falsa est, sed ita: *Quomodo Abraham pater credentium justificatus est, eodem modo omnes homines justificantur.* Supponitur nimirum, unam esse justificationis ac salutis viam. *Atqui. Ergo.* Aliud exemplum occurrit *1. Cor. 10. 5.* ubi argumentum dehortationis fumitur ex *Exod. 32. 6.*

IX. 4. *Allegantur dicta quæ continent typos cum antitypis conferendos.* Exemplum illustre habetur *Gal. 4. 22. & sequent.* ubi allegatur historia de Agare & Sara *Genes. 16. & 25.* & mystice

stice explicatur de duabus testamentis *vers 24. Que per allegoriam dicuntur.* In hujusmodi igitur allegationibus duo occurrunt, historia & mysterium per illam significatum. Ex quo duplex sensus biblicus, literalis & mysticus sano intellectu statui possit, ita tamen ut exacte & accurate loquendo unicus sit sensus. Nam ipsa verba historica non expriment mysterium, duo nempe testamenta, sed historiam. Hæc vero contigit ad umbrandum mysterium. Aliud est de sensu verborum loqui, aliud de significatione rei per verba expressa.

X. Hinc Porismata: 1. In Nov. Test. allegatur V. non Porismata. *saltem secundum similitudinem, sed multoties ob intellectum, quo V. est conscriptum, contra Canonem Sommeri Photiniani: Quicquid ex Vet. Test. ad Nov. transfertur, iisdem illud verbis quidem effertur, in rebus autem, non nisi similitudinem, eamque sæpe exiguam habet.* Qui cum sit bimembris, secundum neutram partem universaliter valet. 2. In scriptura a singulari ad singulare & ad universale interdum legitime proceditur: V. G. *Abraham justificatus est fide sine operibus. Ergo & Paulus justificatur sine operibus. & omnes, qui justificantur, justificantur sine operibus.* Consequentia materialis est, cujus fundamentum est, unam esse justificationis rationem. Sic ex *Psal. 51, 6.* colligitur, omnes homines in peccato nasci, quia David in peccatis natus fuit. Consequentia materialis fundamentum est, quod ratio ac conditio nativitatis in Davide, & omnibus aliis hominibus est eadem. Itaque in hujusmodi collectionibus distinguenda debent attributa contingentia, communia, & singularia, ne mala fiat collectio a singulari ad universale. Quoad collectionem ab uno singulari ad alterum, notat *Junius l. 1. parall. 24. & 64.* typos sive exempla singularia per se minime concludere, & ex particularibus contingentibus effici nihil posse, sed ubi verbum DEI, & autoritas accessit, ea, quæ alioqui ex se nihil astruunt, necessariam habere consequentiam, tum ex institutione aut prædictione Dei, tum ex Divinorum judiciorum analogia. Sed hic distinguendum est inter comparisonem & argumentationem. V. G. Quando Christus *Matth. 12, 40.* dicit: *Sicut fuit Jonas in ventre ceti tres dies &*

*eres nos: ita erit filius hominis, plane non argumentatur a singulari ad singulare, imo ne argumentatur quidem, sed solummodo propositam thesin simili typico illustrat. Idem iudicium est de loco Luc. 17, 26. ubi tamen etiam locum habet argumentum a pari: Recte enim argumentamur etiamnum: DEUS Israelitas propter contemptum Verbi sui punivit. Ergo etiam nos propter eandem culpam punit.*

CAPUT II.  
DE AUTORIBUS,  
qui ex V. T. in N. allegantur.

CAP. II.  
De autori-  
bus V. T.  
qui in N. al-  
legantur.

XI. De hoc membro sequentia observare licet. 1. In allegatione V. T. in N. interdum nullius plane auctoris fit mentio. Et in hoc casu adhibeatur tum activum, tum passivum. Activum, ut Rom. 15, 10. Et rursum dicit, Ephes. 4, 8. Quapropter dicit Hebr. 8, 8. Nunc incusans loquitur illis; in quibus locis non additur, quis dicat, nec ex precedentibus aperte colligi potest. In loco Ephes. 4, 8. Marloratus intelligit Davidem dicentem, Aretius donorum Autorem, seu causam efficientem DEUM, & quidem commodius. Videtur enim hac formula, Dicit, innui auctoritas DEI, de quo recte usurpatur illud, αὐτὸς ἔφα. Passivum, ut scriptum est Matth. 4, v. 4, 7, 10. Act. 23, 5. Galat. 4, 22. &c. Adhibentur etiam verbum legere Matth. 12, 3. Non legistis, quid fecerit David? Matth. 19, 4. Annon legistis? Matth. 21, 16. Nunquam legistis, Matth. 9, 13. & 12, 7. allegans dictum Osee 6, 7. hac forma utitur: Discite, quid sit.

XII. 2. Interdum in allegatione mentio fit DEI, Act. 13, 47. Paulus & Barnabas allegantes locum Esaiam 9, 6. dicunt: Sic nobis precipit Dominus 2. Corin. 6, 2. Dicit enim, ubi subiecti loco commode DEUS repetitur ex v. 1. Hebr. 3, 7. Quapropter sicut dicit Spiritus ille sanctus. Et in his quidem locis solummodo auctoris principalis fit mentio, in sequentibus vero auctor principalis & ministerialis conjunguntur. Matth. 2, 15. Quod dictum fuerat a Domino per Prophetam dicentem. Act. 28, 25. Bene Spiritus sanctus locutus est per Esaiam.  
R10.

*Prophetam.* Ubi videre est. Scripturam nunc DEO, nunc Spiritui sancto, ut auctori attribui.

XIII. 3. *Interdum mentio fit ipsius Scriptura in abstracto, & quidem 1. generaliter.* Job. 13, 18. *Ut impleatur Scriptura.* Gal. 4, 30. *Quid dicit Scriptura?* Joba. 7, 38. sicut dixit Scriptura. Rom. 1, 2. *Quid dicit Scriptura?* Peculiariter notandus locus Rom. 9, 17. ubi dicitur: *Dicit enim Scriptura Pharaoni.* In Exodo c. 9, 16. ipse DEUS per Mosen verba facit ad Pharaonem. Sensus ergo est, DEUM autorem Scripturae dixisse vel Scripturam dicere, quod ad Pharaonem locutus sit DEUS. 2. *specialiter.* *Scriptum est in Lege.* Luca. 2, 23. *Lex dixit,* Rom. 7, 7. *scriptum est in libro Psalmorum,* Act. 1, 20. *scriptum est in libro Prophetarum,* Act. 7, 42. *Propheta Esaias dicit,* Matth. 13, 14. Nomen Scripturae & Scriptoris conjunguntur 1. Cor. 9, 9. *In Mosis lege scriptum est.* Peculiarrem observationem merentur loca hæc: Rom. 10, 6. *Quæ ex fide est justitia, ea sic loquitur.* Ubi per profopopajam introducit loquens justitia fidei, cum *preced. v.* dicatur, Mosen locutum esse de justitia legis. Heb. 12, 5. *Exhortatio vobis tanquam filiis loquitur,* ubi Tremell. ex Syriaco: *Obliti estis doctrinæ, quam tanquam filiis elocuti sumus vobis.*

XIV. 4. *Interdum mentio fit scriptorum, seu causarum ministerialium, 1. generaliter, & quidem tum vage, ut Hebr. 2, 6. Testatus est alicubi quidam dicens,* ubi Apostolus Davidis nomen reticet, (verba sunt Junii in comment.) non eo consilio, ut nomen Davidis fugiat, aut Psalmum ab eo scriptum fuisse neget, sed potius, ut eo demonstret evidentius, se nolle superstitiose hæere in vocibus ad unam exprimendis, cum satis esse videretur locum indicari, & ea afferri ex eo Psalmo, quæ ad præsentem causam pertinebant, Hebr. 10, 30. *Novimus eum, qui dixit,* ubi intelligitur Moses, qui illa verba de DEO protulit in Cantico suo Deuteronom. 32, 35. Tum certo nomine, & quidem vel numeri singulari. Matth. 21, 4. *Quod dictum est per Prophetam.* Vide & Matth. 17, 35. ubi per Prophetam David intelligitur &c. Vel pluralis. Marc. 1, 2. *Sicut scriptum est in Prophetis,* ubi dicta Malachiz & Esaiæ conjunguntur. Matth. 2, 23. *Quod dictum fuerat per Prophetas.* Ubi quaeritur, an unus sit

Propheta, apud quem hæc verba sint: Nazarenus vocabitur, an plures? *Chrysof.* notante *Dn. Chemnitio in barman. sentit*, fuisse forsitan scriptum aliquod Propheticum, unde illa sententia sumpta sit, quod postea interciderit. Nec sane inusitata est figura illa, qua pluralis pro singulari ponitur. Ita *Actor. 15, 15.* *Jacobus ait: Huic consonant verba Prophetarum*, & postea unius *Amos 9, 11.* testimonium allegat. Convenientius tamen plures Prophetæ apud *Matthæum* intelliguntur, quod sensus dicti apud plures habeatur, verba formalia apud nullum extent. 2. *Specialiter nomine proprio*, vt *Job. 12, 38. & 39.* *Esaias nominatur, Matth. 3, 3.* idem *Actor. 2, 29.* *David, Rom. 4, 6.* idem. *Scrupulus hic sese offert ex Matth. 27, 9.* ubi allegatur *V. Test.* nomine quidem proprio addito, sed non autoris, ex quo locus petitus est, verum alterius. Locus enim extat apud *Zachar. 11.* *Matthæus autem usurpat nomen Jeremia.* Variæ enodationum viæ apud autores passim cernuntur, de quibus suum cuique sit iudicium cordato. Hoc loco illud saltem dicimus, si ex traditione potuit *Paulus* nomina *Magorum Ægyptiacorum* *Scripturæ Canonice* inferere *1. Tim. 3, 8.* si ex traditione *Judas* *Apostolus* allegare historiam de altercatione super corpore *Mosis v. 9.* si idem ex traditione *introducere Enochum vaticinantem vers. 14.* etiam non absurde *Matthæus* censeri potest attulisse ex traditione vaticinium *Jeremia.*

XV. 5. *Interdum allegatur V. T. ita, ut non unus aliquis locus allegationi respondeat, sed ad sententiam variis in locis expressam respiciatur.* Notabilis locus est *Job. 7, 38.* ubi *Christus* dicit: *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aqua viva.* Allegat quidem *Junius in parallelis* locum *V. T. Esa. 38, 11.* *Eris tanquam hortus irriguus, & veluti scatebra aquarum, cujus non fallunt aque.* Sed recte addit, existimo frustra de aliquo *V. T. loco* cum magnificis illis *Domini nostri Jesu Christi* verbis aptando laborari, & statumus illis verbis non aliquem novum *scripturæ* locum citari a *Christo*, sed tantum explicari & determinari verba illius *promissionis, quæ in Ecclesia Judeorum* palam die illo magno festi proclamaverat. Idem ergo est, ac si *Christus* dixisset, secundum *Scripturam, quæ Scri-  
ptura*

*prura est sententia, sicut Scriptura docet, quemadmodem eodem sensu ad Apostolos dicit, Luc. 24, 46. Sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere a mortuis tertia die.*

XVI. 6. *Interdum allegatur locus ex V. T. qui unde petitus sit, dubium est. V. G. Eph. 5, 14. hæc habentur verba: Quapropter dicit, expurgare, qui dormis, & surge a mortuis, & illucescit tibi Christus, Hæc verba ita non occurrunt in V. T. & dubitatur, unde sint desumpta. Quidam ergo ad apocryphum scriptum confugiunt, sed sine necessitate. Alii statuunt, Christum induci per ministros suos loquentem in Evangelii prædicatione, alii Paulum quædam suo jure dicere, quæ in sacris literis ad verbum non continentur, alii cum alludere ad vaticinia V. T. de regno Christi. Junius parallelum locum constituit Esa. 50, 1. Surge, luce, quandoquidem advenit lux tua. Idem facit Piscator in suis Bibliis. Alii Esa. 26, v. 29. allegant, notante Aretio. Convenientissime dicitur, Paulum voluisse in summam quandam locum Es. 60. contrahere, ut sensus exprimeretur, licet non verba.*

XVII. 7. *Interdum ex duobus autoribus unum testimonium adducitur V. G. Rom. 10, 15. dicit Apostolus: Sicut scriptum est, quam speciosi pedes annuntiantium pacem, annuntiantium bona. Petiit hoc non tantum ex Esa. 52, 7. quam speciosi sunt super istos montes pedes Evangelizantis, pronuntiantis pacem; sed etiam ex Nabum. 1, 15. Ecce super montes pedes Evangelizantis & annuntiantis pacem. Nec mirum, siquidem non solum autores N. T. imitantur sententiis autores V. T. sed etiam hi se invicem. Sic Obadiah quædam dicta cum Jer. 49. & Ezech. 25. habet communia, & Mich. 4, 1. cum Esa. 23. loquitur.*

XVIII. *Observationes hæ sequentia Porisimata, Porisimata, peditant: 1. Indubia sit apud Christianos Scriptura sacra autoritas, ita ut non dicere Jehovah per Scripturam omnem litem dirimat. Eo ipso, quod Scriptura sacra vox est Dei ad nos loquentis, venerandæ est majestatis. Cum autem dupliciter de autoritate Scripturæ quæri possit: 1. absolute. 2. relate, ratione cognitionis, unde apud nos Scriptura sit authen-*

authentica, unde sciamus eam esse infallibilem DEI vo-  
cem, neutro modo autoritas ab Ecclesia unice pendet,  
Non priori, quod & saniores & modestiores Pontificii con-  
cedunt. Non posteriori. *Quicquid enim tanquam præcognitum*  
*principium adhibetur ad Ecclesiam probandam, illius autoritas non*  
*dependet, & quidem unice, ab Ecclesia.* Atqui apud veros Chri-  
stianos Scriptura sacra tanquam præcognitum & præsuppositum prin-  
cipium adhibetur ad Ecclesiam probandam. Ergo Scriptura autori-  
tas non dependet, & quidem unice, ab Ecclesia. Major prob.  
quoniam quod tanquam præcognitum principium ad exa-  
minandum aliquid præsupponitur, illud huic examinan-  
do confert autoritatem, non contra. Minor prob. ex praxi  
Apostolica in allegationibus V. T. Contra apud Pontificios,  
si rem exacte ponderamus, sacræ scripturæ autoritas om-  
nis, si non absolute, certe quoad nos pendet ab autoritate  
Ecclesiæ Romanæ, h. e. Papæ. Nam quicumque scriptum im-  
perfectum perficit, obscurum intelligibile reddit, ambiguum ad cer-  
tum sensum determinat, ex se invalidum roborat, ex se vacuum  
divinitate quasi donat & informat, ab illo omnia illius scripti quoad  
legentes pendet autoritas. Atqui Papa ex mente Pontificiorum hoc  
facit. Ergo. Inde negant Pontificii, Evangelicos habere  
verum DEI verbum, quia licet habeant literam scripturæ,  
non habeant tamen mentem Ecclesiæ, h. e. Papæ Romani,  
in quem ratione infallibilitatis Ecclesia Romana ultimo re-  
solvitur. Videatur Bellarm. l. 4. de V. D. c. 4. Pistor. in hodoget.  
p. 2. Ecc. in Enchirid. p. 27. Hoc vero est non cum Apostolis ad  
rō dicere Domini, sed cum Phariseis ad rō sentire Synago-  
gæ respicere. Atqui ut subditis decretum regnum est vene-  
rabile, non propter subditos, sed propter Regem: Ita  
Christianis Scriptura Canonica esse decet, & authentica,  
non propter cœtum Christianorum, Ecclesiam, sed pro-  
pter DEUM per Scripturas loquentem.

XIX. Sed & Calviniani quandoque non multum cu-  
rant dicere Scripturæ. Etenim plus attendunt sensuum &  
rationis angustias quam Scripturæ divitias, quando verba  
Christi in sacræ Cænx institutione: *Edite, hoc est corpus*  
*meum*, extenuant, & ab eorum perspicuitate ad obscuras  
tropologias dilabuntur, ideo, quod ratio nequeat ex suis  
prin-

principiis naturæ cursum concernentibus præsentiam corporis Christi in cœnæ administratione percipere. Christum adscendisse in cœlum visibiliter, credunt illi, quia in Scriptura sacra docetur, & quod docetur, ratione est credibile, Christum corpore suo in cœnæ administratione revera præsentem esse, non credunt, quia verba institutionis non debent sensu rationi adverso intelligi. Hæc vero expedita via est, complures fidei articulos in dubium vocandi & verba Scripturæ dilucida in sensum peregrinum detorquendi. Incredibile est, secundum naturæ cursum iudicandi ac rationem consulendi, idem suppositum simul infinitum esse DEVM, & finitum hominem, virginem illæsa virginitate concipere, ac parere, tres esse unam simplicissimam essentiam, idem corpus in cineres redactum redire &c. Ergo Scriptura cedat rationi, & illius verba ad hujus intelligentiam tropice explicentur. Triumphabit Photinianismus: Imo vero valeat apud omnes Christianos: *Scriptura dixit.*

XX. 2. *Scriptura sacra suum habet sensum divinum, qui sine Ecclesiæ Romanæ interpretatione cognosci potest.* Tempore Apostolorum tuto ad scripturam potuit provocari, & ex ea argumentum formari, ut illud intelligerent membra Ecclesiæ, nec opus erat, ut certus scripturæ sensus ab Ecclesiâ inferretur. Ita patet ex allegationibus V. T. in N. Multo minus nostro tempore opus est, ut Romanus Pontifex certum sensum indicet Scripturæ per se ambigux. Consequentia patet, quoniam Scriptores N. T. lucem intulerunt Veteri. Non ergo jubeat non *Becan. l. 1. manual. c. 1. p. 6. ex Pontificia Scriptura disputare cum Pontificiis, quia hi nostram non admittant.* Quasi vero non scriptura sit, maneatque DEI Scriptura, certo suo sensu constans, ita ut per diversas interpretationes minime fiat alia atque alia. Quod si hoc ipsum fieret, obscure & vage nimium locutus sit Christus, necesse est, quando *Job. 11. 5, 39. mandavit: Scrutamini Scripturas. Quas intellexit? An suas? An Pharisæicas? Occurrendum ipsi erat: Si vis cum Pharisæis disputare, ex illorum Scriptura disputa, quia suam non admittunt.* Eo deducit Jesuiticus discursus.

XXI. 3. *Autores biblici in scribendo non errarunt. De Scrip-  
toribus V. T. patet. Secus testimonia eorum ab autoribus  
N. T. non potuissent tuto allegari; Atqui ita allegantur,  
ut jam profus nomen taceatur, jam DEI, jam Prophetæ,  
jam speciatim Esaia, &c. fiat mentio, ut nullo modo Scri-  
ptorum V. T. autoritas in dubium vocanda sit. Quoniam  
nempe a Spiritu Sancto impulsu locuti sunt sancti Dei homi-  
nes, 2. Petr. 2, 21. Scriptores N. T. sunt tum Evangelistæ,  
tum Apostoli: Illi in scribendo non errarunt. Quorum e-  
nim Scripta ab Apostolis visa, probata, Ecclesie ut Canonica com-  
mendata sunt, illi in scribendo ratione scriptorum illorum approba-  
torum ab errore sunt immunes. Scriptum enim Canonicum &  
erroneum esse repugnat. Atqui Evangelistarum Scripta sunt  
italia, ut constat. Ergo. contra *Erasmum* c. 27. *Matth. Alber-  
tum Pighium* l. i. hierarch. Eccles. c. 2. *Socin. de autor. Scripturae,*  
*&c.* Neque hi, tum propter eandem causam, tum, quia,  
ut peculiaria veritatis organa a S. S. adhibita sunt ad Evan-  
gelium etiam scribendo propagandum, quieos in omnem  
veritatem duxit, *Iob. 6, 23.* Diximus in scribendo. Nam  
quod attinet errata vitæ ac facti, alterius quæstionis est, u-  
trum Apostoli quandoque etiam contra doctrinam Evangelicam erra-  
rint. Videatur *Galat. 2. & Apocal. 19. ac 22.* Nulla est conse-  
quentia: *Apostoli in officio docendi ac scribendi non potuerunt er-  
rare. E. nec in factis & vita.* Ibi enim iis promissa est S. S.  
*condignitas*, tanquam organis ad Evangelicum propugnand-  
um, hic non item. Hac vero ab errore immunitatem  
nullo jure Papæ Romano Pontificii attribuunt tanquam suc-  
cessorij Petri. Privilegium enim illud convenit Petro, non  
ut capiti Ecclesie, sed ut Apostolo, & amanuensi S. S. quo  
non minus, quam ipse, alii Apostoli gaudebant. Cum-  
que illud cum Apostolatu successu temporis defierit, non  
mirum est, si Pontificios experientia refuset. Sane, quan-  
do unus Papa alterius decreta publice rescindit & damnat,  
per decreta contraria, necesse est, ut aut prior Papa in do-  
cendo ac scribendo erret, aut posterior. Atqui testantur  
historiz, unum Pontificem alterius decreta abrogasse & da-  
mnasse. Hoc argumentum est ipsius *Erasmi*, cujus verba  
in *annot. 1. Cor. 7, p. 317.* notatu digna sunt: Porro si verum est,  
quod*

quod quidam asseverant, Romanum Pontificem errore judiciali non posse unquam errare, quid opus generalibus Conciliis? quid opus in Concilium accersere Jure Consultos ac Theologos eruditos, si pronuncians labi non possit? Cur datus est appellationi locus, vel ad synodum, vel ad eundem relictus edoctum, posteaquam semel de causa pronuntiavit Pontifex? Quorsum attinet, tot Academiae in tractandis fidei questionibus distorqueri, cum ex uno Pontifice, quod verum est, audire liceat? Imo qui fit, ut Pontificis hujus decreta, cum illius pugnent decretis? Ut enim taceam de Formoso, nonne Papa Johannes XXII. & Nicolaus decretis totius inter se pugnant, idque in his, qua videntur ad fidei negotium pertinere? Quorum alter pronuntiavit judicialiter, ut illorum more loquar, Christum & Apostolos nihil habuisse, nec in commune, nec priuatim, alter contra pronunciat habuisse. Id ex ipsorum extravagantibus licet cognoscere. Sed propius ad id, quod hic agimus, facit, quod Innocentius III. ac Caelestinus de matrimonio dirimendo prorsus pugnantia desinierunt. Hac Erasmus.

### CAPUT III.

## DE AUTORIBUS, qui Vetus Testamentum in N. allegant,

XXII. Qui allegant Vet. Test. in Nov. sunt vel ipsi CAP. III.  
Scriptores Nov. Test. vel ii, quorum verba in historiis Nov. De autori-  
Test. commemorantur. Illi sunt Evangelistae & Apostoli: bus in N.T.  
hi CHRISTVS, amici ejus, & adversarii: alleganti-  
his sequentes observationes agunt: quaedam dicta Vet. Test. bus V.  
ab uno solum autore Nov. Test. allegantur, V. G. Esa. 9. 1. allegatur a solo Matth. 4, 14. ita Genes. 17, 5. a solo Paulo Roman. 4. 17.  
item Genes. 36, 15. a solo Paulo Galat. 4, 22. &c. Imprimis copiosus est in allegatione V. T. Johannes passionem Christi describens. Quantoque unus autor saepius idem dictum allegat, V. G. Locum Ose. 6, 6. Misericordiam volo. non sacrificium, Christus allegat Matth. 9, 13. & repetit Matth. 12, 7, scopo, si genus spectemus, eodem contra observationes

Pharisaicas. Locus Deuter 25, 4. *Non obturabis os bovis, quando triturat ipse*, allegatur a Paulo 1. Corinth. 9, 9. 2. Timoth. 5, 18. In priori loco vult Apostolus docere, Stipendia a Ministris Ecclesie posse sumi: In posteriori, ab auditoribus debere dari, id quod voce *honoris* complectitur quemadmodum honorare quandoque idem est, quod muneribus mactare. Judic. 13, 17.

XXIII. 2. *Quaedam dicta V. T. a pluribus in N. T. allegantur, Et hoc diversimode.* Aliquando plures idem dictum repetunt principalibus verbis iisdem. Ita locus *Esa. 40, 3. Vox clamantis in deserto*, allegatur a Matth. 3, 3. Marc. 1, 3. Luc. 3, 4. Johannes Baptista ipse de se allegat *Ioh. 1, 23.* quod ipsum fieri etiam apud Matthæum quidam statuunt, sed non admodum probabiliter, propter *v. 1. & 4. Psalmum 110, 1.* allegat Christus *Matth. 22, 44.* Petrus *Act. 2, 34.* Autor ad *Hebr. 1, 13.* iisdem verbis. Aliquando mutatis accidentibus Grammaticis. *Esa. 10, 6.* allegatur a Christo *Matth. 13, 14.* a Johanne *12. v. 40.* a Paulo *Act. 28, 26.* ab eodem *Rom. 11, 8.* sed mutantur personæ, ut apparet ex collatione. Ejusdem testimonii verba sine tamen allegatione usurpantur *Marc. 4, 12. & Luc. 8, 10.* Aliquando ratione rerum etiam occurrit diversitas. In citatione *Zachar. 9, 9.* Matthæus facit mentionem asini & pulli *c. 21, 5.* Johannes solius pulli *c. 12, v. 15.* sed absque contradictione: Unius enim positio nuda non est alterius negatio vel exclusio. Plenior etiam & latior est interdum unus in allegando, quam alter, quod & notari potest in collatione *Matth. 3, 3. & Luc. 3, 4.* allegantium *Esa. 40, 3.* Hic enim longe plura adducit, quam ille. Variant etiam interdum Scriptores, ita, ut unus huic, alter alii subiecto allegationem attribuat, V. G. *Matth. 22, 37.* Christus recitat verba *Deut. 6, 3.* ut & *Marc. 12, 30.* At apud *Luc. 10, 27.* Legisperitus id facere dicitur. Absque contradictione. Alia enim est historia, quæ apud Matthæum & Marcum, alia quæ apud Lucam describitur.

XXIV. 3. *in N. T. introducuntur a Scriptoribus persona V. T. allegantes legitime & illegitime.* Legitime, ut Christus, ex *Gen. 2.* allegat *v. 24. Matth. 19, 5.* ubi verba, quæ Adamo in *Genesi* tribuuntur, DEO adscribit, eo, quod Spiritu sancto ple-

plenus divinam illis institutionem Adamus expresserit: & ex Deut. 17, 6. allegat Job. 8, 17. de testimonio duorum, ubi videri posset contra mentem DEI seipsum constitvere testem, in propria causa. Sed responsio est v. 14. & c. Et omnino ex Scriptura V. T. in disputationibus cum adversariis Iohannes solitus est pugnare. Johannes allegat ex Esa. 40, 3. apud Job. 1, 23. Judæi Job. 7, 42. Nonne Scriptura dicit, quod ex semine David, & de Berlethem castello, ubi David erat, venit Christus, allegant Mich. 5, 2. Vide & Matth. 2, 6. Illegitime, Pharisei Job. 12, 34. dicentes: Nos audivimus ex lege, quod Christus maneat in aeternum, allegant procul dubio Psal. 116, 4. Tu es Sacerdos in seculum, quem Psalmum Judæi etiam de Messia intellexerunt, ut colligitur ex Matth. 22, 44. Sed male applicant. Sadducei, Matth. 22, 24. & Marc. 12, 29. & Luc. 20, 28. allegant contra Christum Deuter. 25, 5. sed male colligunt. Diabolus, Matth. 4, 6. & Luc. 4, 10. Christum tentans allegat Psal. 91, 12. sed i. male citat, omittendo illud, omnibus visis tuis. 2. male accommodat, torquendo ad Christum quod de Ecclesia militante dictum erat.

XXV. Ex his observationibus colligimus Porismata: Porismata,

1. Una & eadem est Scriptura Hebraica V. & Græca N. T. apud Orthodoxos & heterodoxos, nec propter abusum in interpretando & applicando diversis tractantibus fit alia atque alia. Pontificii volunt, Evangelicos non habere veram Scripturam, quia non habent verum Catholicæ Ecclesiæ sensum: Ita Becanus in l. supra citat. Ita quidam Pontificius in nupera Apologia quadam Germanica l. 2. c. 25. Fiat Syllogismus: Qui non habent verum sensum Scriptura, illi non habent veram Scripturam. Atqui Evangelici non habent verum sensum Scriptura, E. non habent veram Scripturam. Et licebit progredi: Diabolus non habuit verum sensum Scriptura. E. non habuit veram Scripturam. Conclusio est falsa. Nam ex qua Scriptura Christus respondit Matth. 4. ex eadem Diabolus fuerat argumentatus, quod patet ex responso Christi. v. 7. Rursum scriptum est, quo non rejicitur Scriptura allegata, sed modus allegandi & applicandi. Atqui ex vera Scriptura Christus respondit. Ergo ex vera Scriptura Diabolus fuit argumentatus. Eam ergo, cum argumentaretur, habuit. Sic conclusio

clusio falsa est, ergo vel major vel minor. Non minor, ut patet E. major. Deinde agnoscant Pontificii inconstantiam suam, quando negant, Evangelicos habere veram Scripturam, & affirmant tamen, eosdem Scriptura abuti, eamque depravare. Abutuntur enim aut sua, aut DEI Scriptura. Non sua, quæ ipsa pessima est ex mente Pontificiorum, ut nova depravatione ad fallendum non indigeat. Si Dei veram, habent Scripturam. *Quicumque in translatione abutuntur Scriptura vera, eam habent, dum trahunt. Secundum Pontificios Evangelici abutuntur Scriptura vera. E. eandem habent.* Sed secundum hypothefin Pontificiorum, quot sunt sectæ contrariæ, quot interpretes, tot erunt Scripturæ, imo cum in interpretatione Scripturæ miris modis etiam Pontificii dissentiant, non una erit vera Scriptura Pontificia Catholica, sed multæ, & ad cujusque cerebrum Scriptura fiet alia atque alia. Absurdum! Manet suo constans sensu Scriptura, nec timet variationem, quanta, quanta sit abutentium & corruptentium varietas. Male intelligebant Pharisei legem Mosaicam & Scripturam V. T. Ergone non habebant veram Scripturam? Imo ad illam quam habebant, quam tamen nesciebant, Christum remittit passim. Nemo sanus dixerit, vel Patrum vel Aristotelis scripta non esse vera, si quis eorum verum sensum non teneat, Decreta Papæ, si quis genuino eorum sensu careat, mutari, multiplicari, alia atque alia fieri, Pontificiorum quis concedet? Sola Scriptura divinitus inspirata hoc infortunium experiri cogitur. Impia assertio!

XXVI. 2. *Falsa Scriptura sacra allegatio & illegitima applicatio non impedit, quo minus infallibilis illa sit vera doctrina & Ecclesia cognoscenda nota. Argumentantur Pontificii contra Evangelicos, & ipsam etiam Scripturam hunc in modum: Quodcumque allegant, ac fundamenti loco jactant omnes hæretici, illud non potest esse certa & infallibilis nota vera doctrina & Ecclesia. Atqui Scripturam allegant, &c. Ergo. Ita post alios nupera Apolog. Germ. l. 1. c. 4. §. 3. Si legitima est argumentatio, pari modo licebit argumentari: Quod fundamenti loco afferunt hæretici & ipse etiam Diabolus, illud non est infallibile vera doctrina fundamentum & regula. Atqui Scriptura*  
vana

ram afferunt Pharisei, Sadducæi, & ipse etiam Diabolus contra Christum. E. non potest esse infallibilis nota, regula, fundamentum vera doctrina. Ulterius. Quod non est certum & infallibile veritatis fundamentum, non potest vera doctrina defendende causa contra adversarios firmiter affirmari & usurpari. Atqui Scriptura est talis. Ergo. Proinde Christus afferens Scripturam contra Diabolum, Phariseos, Sadducæos, male functus est disputatoris Theologi officio. Absurdæ sunt hæc conclusiones, illudque arguunt falsitatis principium: Quod ut fundamentum allegant omnes hæretici, non est infallibilis vera doctrina & ecclesia nota. Videant porro Pontificii, quomodo hanc suam argumentationem cum altera illa assertione, quod hæretici non habeant veram Scripturam, conciliare velint, videant, utrum hæc duo simul stare possint: Hæretici omnes ad Scripturam veram provocant, eamque fundamenti loco usurpant, & hæretici non habent veram Scripturam. Qui ad veram Scripturam provocant, eamque ut fundamentum religionis urgent, illi habent veram Scripturam, quod qui probari sibi velit, supra, modum impudens fuerit. Atqui Evangelici, alique hæretici ad veram Scripturam provocant, eamque fundamentum religionis urgent. E. habent veram Scripturam. Minor est ipsorum Pontificiorum, ut patet ex argumentatione ipsorum supra proposita. Conclusio tamen est sententiæ illorum adversa. Forma cum bona sit, Pontificii contradictione implicari tenentur.

#### CAPUT IV.

### DE VERBIS FORMALIBUS,

quibus loca Vet. Test. in N. repetuntur.

XXVII. De hoc membro ex Scriptura sequentes observationes licet colligere, 1. Interdum iisdem verbis ex Vet. Test. in Nov. sententiâ repetuntur, vel levissima facta mutatione, quoad

CAP. IV.  
De verbis  
formalibus  
dictorum  
allegato-  
nume-  
rum,

numerum, personam, modum &c. Exempla occurrunt  
*Matth. 4, 4. ex Deut. 8, 3. Matth. 4, 7. ex Deut. 6, 16. ubi est,*  
*ne tentate, cum in Matth. sit, non tentabis, Matth. 5, 21 ex*  
*Exod. 20, 13. Matth. 18, 16. ex Deuter. 19, 15. Matth. 21, 42. ex Psal.*  
*118, 12. Rom. 4, 3. Ex Gen. 15, 6. ubi est: Et imputavit hanc ei*  
*injustitiam, quanquam Pagninus vertit: Et imputatum est illud*  
*ei injustitiam, secundum naturam Hebraismi. Quo admissio*  
*non est necessarium causam afferre, mutati verbi activi in*  
*passivum cum Junio, quod Paulus ambiguitatem verbi hoc*  
*interpretationis modo præcavendam esse duxerit.*

XXVIII. 2. *Interdum mutantur verba sensu retento* 1. Per  
*additionem, ut Luc. 3, 6. allegatur locus Esa. 40, 5. Videbit*  
*omnia caro, & additur, salutare, Dei. Matth. 15, 9. allegatur*  
*Esa. 29, 13. & additur, frustra me colunt &c. 2. Per detractio-*  
*nem, ut Matth. 4, 15. in allegatione Esa. 9, v. 1. aliquot verba*  
*omittuntur. Matth. 4, 32. in allegatione Deut. 21, 1. summa*  
*saltem repetitur. Matth. 12, 21. quædam omittuntur, quæ*  
*sunt in loco parallelo Esa. 42, 4. 3. Per permutationem, Matth.*  
*21, 8. pro exulta filia Sionis apud Zachar. 9, 9. dicitur: Dicite*  
*filia Sion. pro justus Salvator, pauper, dicitur mansuetus, &c.*  
*si statuatur, ex uno Zach. 9. testimonium afferri Matth. 4, 10.*  
*& additio & permutatio occurrit. Nam primo particula*  
*soli additur, quæ non est in loco parallelo, Deut. 6, 13. deinde,*  
*pro timebis, habetur, adorabis. Nec vero desunt cau-*  
*sæ hujus mutationis. 1. Interdum breviter voluerunt au-*  
*tores N. T. ex V. afferre summam, quantum facere visum*  
*est ad institutum. 2. Interdum per exegetin voluerunt*  
*loca V. T. illustrare, ut fecit Petrus Act. 2, 17. & seq. alle-*  
*gans Joel. 2, 28. & seq. 3. Per synonyma voluerunt V. T.*  
*explicare. Ita Matth. 13, 35. habetur a jaelis fundamentis mun-*  
*di, quod est synonymum ei, quod habetur in loco paral-*  
*lelo Psal. 78, 2. inde ab antiquitate. Ita Matth. 4, 10. timere &*  
*adorare, sunt synonyma. Ita Matth. 21, 8. redditur pauper per*  
*mansuetus, quia pauperes mansueti esse solent, & Christi*  
*paupertas in mansuetudine & humilitate etiam consistit.*  
 4. Voluerunt docere, S. S. non esse adstrictam ad literas ac  
 syllabas, veramque Theologiam non in apicibus literarum,  
 sed in virtute sensus sitam esse.

XXIX.

XXIX. Affertur etiam regula ex Hieronymo. Ubi Apostolici Viri loquuntur ad populos, iis plerumque testimoniis utuntur, quae jam fuerunt in gentibus divulgata, & sequuntur versionem LXX. Interpretum Graecam. In Graeca versione citanda, inquit Flacius l. 2. Clav. pag. 103. observandum est, Apostolos in N. T. non immerito aliquid dedisse imbecillitati Christianorum, & communi consuetudini, quod non aliter aliquoties dicta Scriptura citaverint, quam sicut jam dudum apud vulgus ex illa versione innotuerant. Ita Psal. 19, 5. dicitur, linea eorum. Rom. 10, 18. in allegatione dicitur vox eorum, uti & habent. LXX, Φθόγγος. Ita Esa. 53, 8. dicitur: De angustia & iudicio sublatus est. LXX. transtulerunt: In humilitate iudicium ejus sublatus est. Hos sequitur Lucas Act. 8, 33. Ita Psal. 8, 5. habetur: Si videris eum indigere DEO. Hebr. 2, 7. redditur: Minuisti eum paulo minus ab angelis, secundam versionem LXX. Ita vox patrum in Hebræo redditur, per vocem Testamentum ex more LXX. Interpretum ab Apostolo Hebr. 9, 20. Rom. 9, 4. &c.

XXX. Notandum tamen, non semper, & ex necessitate autores N. T. ex versione LXX, interpretum locutos esse, sed libere hac in parte egisse, ita quidem, ut vel sine superstitione sententiarum veritatem respexerint, nihil curantes syllabas, quo allegatur Hieronymi iudicium in Comment. Malach. vel certo consilio nonnulla mutarint. Ita quod Paulus Rom. 10, 18. pro linea ponit, vocem, fecisse dicitur secundum quosdam, ut ad anagogiam, nec deduceret, secundum alios, ut praesentissimum promissionis complementum exprimeret. Et ratio, quae affertur pro allegatione ex LXX. Interpretibus, concernit saltem Apostolos Graecis Evangelium praedicantibus, non CHRISTVM cum Judæis agentem. Videatur Jun. l. 2. parall. 39.

XXXI. 3. Interdum verba N. T. verbis loci allegati contraria esse videntur. V. G. Psal. 40, 7. dicitur, aures perfodisti mihi, Hebr. 10, 5. contrarium plane in sensum illud verti videtur: Corpus aptasti mihi. Respondetur, Apostolus illa Psalmi verba adducit non juxta literam, sed juxta sensum LXX. Interpretes reddiderunt, qui Apostoli in citationibus, non de verbis, sed de sensu potissimum & apta citatione fuerunt solliciti, inquit Brennius Comment. Epist. Hebr. Causa autem hujus mutationis,

D

quoad

quodam verba secundum Junium in parallelis, hæc est, quod, cum verba illa Davidis, *aures perfodisti mihi*, duo comprehendant, assumptionem corporis a Filio DEI, & subjectionem, atque obedientiam Christi, seu ministerium in officio, (quemadmodum olim in signum voluntarii obsequii auris fibula pertundebatur) prius Apostolus voluit reddere sua interpretatione ad institutum suum magis faciens, quam alterum. Sed, ut idem notat, verba etiam conveniunt. Aures apud Davidem synechdochice pro corpore ponuntur. Verbum *Carab* significet non solum perfodere, sed & aperire. Unde *Schindl. in Lex. p. 895.* reddidit: *aures aperuisti, ut obediam voci tuae.* Ita *Jerem. 31. 32.* *Ego dominatus sum eis, ut Pagninus vertit, vel, ego conjugio junctus mansissem cum eis, ut Temell.* At *Hebr. 8. 9.* in contrarium vertitur: *Ego neglectui habui eos, Respond. LXX.* Interpretes locum *Jeremie* interpretati sunt, *Et ego neglecti eos.* Quod dixit Propheta per Interrogationem, illud reddidit cum LXX. Apostolus per negationem illi æquivalentem, vel potius in illa contentam. Nam qui adhibet modum interrogandi, fortius negat, ut qui dicit, *Egone tecum maneam?* vult dicere: *Minime tecum maneam.* Ita *Mich. 5. 2.* dicitur: *Bethlehem parvula es in millibus Jude.* Hunc locum allegans *Matthaus 2. 6.* contrarium dicit. *Nequaquam es minima.* Respond. Senlum *Matthaus* expresit. *Micheas* vaticinans vult parvulam Bethlehem ratione sui, & respectu extremæ formæ, exaltandam esse per Messie nativitatem. *Matthaus* vaticinii complementum ostendens eandem minime parvam dicit nato Christo. Ita *68. 19.* dicitur: *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem, accepisti bona pro hominibus.* Paulus *Ephes. 4. 8.* Quapropter dicit: *Cum ascendisset in altum, captivam duxit captivitatem & dedit dona hominibus.* Accipere autem & dare sunt opposita. Respond. Et varietas nihil afficit sententiæ, quandoquidem in Psalmo promittitur futurum, quod nondum erat factum, & ob id dicitur accepisse dona, quæ post elargiretur. Hic quoniam Apostolus describit, quod jam erat factum, fundatis ubique per orbem Ecclesiis dedisse scribitur, non accepisse. Ita respondet *Erasmus in annot. ad Ephes. Junius in parallelis. l. 2. parall. 58.*

respondet, solere Shripturam in locutionibus hujusmodi per metalepsin ex antecedente consequens intelligere, ut sensus Psaltis sit, *accipiens dedit*, ut etiam ostendit nomen (*dona*) proxime subsequens, & sequentis versus argumentum: *Benedictus Dominus, qui quotidie nos onerat donis &c.* Quin & notante *Schindler* in *Lex.* verbum Hebræum interdum complectitur duo hæc, *accepit & attulit.*

XXXII. 4. *Interdum locus in N. & V. T. allegatus quoad verba non invenitur V. V. G. Matth. 2, 23. dicitur. Habitatavit (Christus) in civitate Nazareth, ut impleretur quod dictum est per Prophetas, Nazarenus vocabitur.* Hæc verba nullibi apud illum Prophetam in V. T. extant. Quidam confugiunt ad libros, qui interierint, quod periculosum; quidam ad Interpretes Prophetarum, quod itidem minus tutum: quidam ad typum Nazaræorum, *Genes. 49, 16. Judic. 13, 5. & Psal. 131, 18.* quod scriptioni *Nazarenus* contrarium, & quod Psalmum a scopo alienum. Commodissime statuitur, Evangelistam respicere ad sententiam *Esa. 11, 1. & Jerem. 23, &c.* ubi Christus germen & flos appellatur, quibus appellationibus obscure locum educationis Christi Nazareth significatum esse, acute docet *Junius in parallel.* Itaq. *Timoth. 5, 18.* allegat Paulum dictum. *Dignus est operarius mercede sua,* quod in V. T. nullibi occurrit. *Aretius* statuit in *Comment.* Scripturæ nomine jam tunc comprehensas fuisse Domini Christi de religionis cura sententias. *Marloratus* vult non proprie, ut dictum Scripturæ hoc a Paulo allegari, sed ut sententiam proverbialem. Et sane nulla videtur cogere necessitas, ut istud: *Dicit Scriptura,* etiam ad posteriorem sententiam referamus. Fortassis non incommode locum parallelum quaerimus *Levit. 19, 13. & Deuter 24, 15. In die suo dabit mercedem ejus,* ut ita Paulus ex duplici Lege Mosaica ratiocinatus fuisse censeatur, & posterioris legis sententiam proverbialiter expressisse.

XXXIII. Ex his colligimus: *E diversitate verborum in allegatione nec potest. nec debet inferri fontium Vet. Test. corruptio,* Pontificii nonnulli eo audaciæ proveci sunt, ut ex diversitate verborum V. T. corruptionem probare conarentur, & porro concluderent, illud ex versione Latina vulgata.

Porismata.

tanquam ex authentica Scriptura corrigendum esse. Ita Bellarm. l. 2. de V. D. c. 2. probaturus Hebraum textum falsissime ab Evangelicis pro fonte purissimo haberi, inter alia affert illud *Psal. 19, 5.* ubi in Hebræo Codice est, *linea eorum,* cum sit legendum, *sonus eorum* secundum LXX. Paulum Rom. 10, 18. & Hieronymum. Gordonus vero Huntlaus providentie divina depravationem Hebrææ Scripturæ factam esse, eamque ex vulgata versione Latina corrigendam esse audacter contendit. Contra hanc sententiam argumentamur: *Quicumque in allegatione V. T. vel LXX. Interpretum versionem retinent, saltem, ut versionem publice usitatam, ita tamen, ut se ad illam minime astringant necessario sequendam, vel certo consilio prudenter diversis verbis, sententiam V. T. exprimunt, ut in re ipsa nulla sit contrarietas illi per allegationem suam minime reprehendant & castigant textum Hebraum, ut otiosum. Atqui hoc faciunt Evangelista & Apostoli. Ergo. Major prob. quia 1. aliud est, ob usum communem allegare versionem libere, aliud versionem, ut necessario sequendam & authenticam fontibus opponere. Ab illius positione ad hujus, nulla est sequela. 2. Aliud est explicatio, aliud rejectio fontium. Illa fontes confirmat contra hanc. Minor patet ex dictis. Non semper scriptores N. T. sequuntur LXX. cujus exemplum habuimus *Matth. 2, 6.* aliudque notabile occurrit *1. Cor. 15, 21. Esa. 26, 12.* Videatur *Jun. in parallel. l. 2. parall. 39.* Observavit etiam Hieronym. specialiter de *Matthæo*, quod ubi ex persona sive sui, sive Christi, V. T. testimoniis utitur, non sequatur LXX. Interpretum auctoritatem, sed Hebraicam, notante *Flac. l. 2. clav. tract. 1. p. 103.* 2. *Omnis versio pendet ab Originali, & ad illud tanquam ad authenticum est examinanda. Hebraus textus V. T. est Originale Latina Bilia sunt versio. E. hæc ab illo pendunt, & ad illum sunt examinanda. Major constat ex natura Originalis, & versionis. Ideo namque versio dicitur versio, quod originale exprimat in alia lingua, quantum fieri potest. E. Originale est instar signati & ex exemplaris, versio instar signi & imaginis illud repræsentantis. Quemadmodum igitur absurdum est Principem examinare & corrigere ad imaginem ejus, ita absurdum est Originale corrigere velle ad versionem.**

XXXIV. Ex quo patet, quam elumbe, imo & ridiculum sit argumentum Pontificium: *Qui non habent & admittunt ut Canonicam, Latinam vulgatam versionem, illi non habent veram Scripturam. At qui Evangelici non habent & admittunt, ut Canonicam, Latinam vulgatam versionem.* Ergo. *Becan. l. 1. manual. c. 2. q. 6.* Quidam in nupera apolog. *Germ. p. 2. c. 25. §. 3.* Si Major propositio vera esse debet, quasi omnis, qui veram habet Scripturam, habere debeat versionem vulgatam, quid dicendum de Ecclesia ante versionem illam ex aratam? De Apostolis ipsis, eorumque discipulis, ac successoribus? Si regeratur, majorem universalem esse de tempore, postquam canonizata est versio vulgata ab Ecclesia, nihil efficitur. Nam qui habet Originalem Scripturam in fontibus, ille habet veram Scripturam. At qui quidam, qui carent versione vulgata, postquam in Ecclesia quoad usum communem est recepta, habent Originalem Scripturam V. & N. T. Hebraam & Græcam. Ergo quidam qui carent versione vulgata post ejus receptionem, habent veram Scripturam. Insuper si major vera est, non accusandus erat a Pontificiis Lutherus, quod versione sua corrumperit Hebræam & Græcam Scripturam, sed quod Latinam vulgatam. Argumentamur: *Quam Scripturam Lutherus corripit versione sua, illam qui habet, veram habet Scripturam.* At qui Lutherus Hebraam & Græcam Scripturam versione sua corripit. E. qui habet Scripturam Hebraam & Græcam V. scil. & N. T. veram habet Scripturam. At qui quidam, qui non habent Latinam versionem. Hebraam & Græcam Scripturam habent. Ergo quidam non habentes Latinam versionem, tamen habent veram Scripturam. Major prioris Syllogismi probatur, quia procul dubio secundum Pontificios Lutherus veram Scripturam corripit. Minor constat ex accusatione Pontificiorum, quanquam rarius ad fontes, sapissime ad versionem vulgatam provocent.

\*:) o (:\*

CAPUT V.  
DE VERBIS FORMALIBVS  
quibus fit allegatio.

XXXV. Verba, quibus fit allegatio, possunt considerari tum ex parte autorum, qui ex V. T. allegantur, tum ex parte materiarum, cum quibus allegata ex V. T. conferuntur. Igitur 1. *Aliquando nulla plane forma allegationis adhibetur, ut Rom. 9, 7. Neque quia sunt semen Abrahae, omnes filii, sed per Isaac nominabitur tibi semen.* Hic per ellipsin nulla fit mentio Geneseos, ex qua assertur dum illud c. 21. v. 12. nulla etiam formula allegationis adhibetur. Subintelligendum est, *ut dicit Scriptura, vel simile.* 2. *Ut plurimum ex parte allegatorum autorum adhibentur formulae, ut, dictum est, Scriptum dicit, legis, &c. de quibus etiam supra c. 2.* 3. *Ex parte materiarum, de quibus V. T. allegatur, interdum fit mentio impletionis. V. G. hoc factum est, ut impleretur, quod dictum est a Domino per Prophetam. Matth. 1, 22. &c.*

XXXVI. Repetendi hoc loco sunt quatuor illi modi, ex Dn. Chemnitio barman. *Evangel.* quibus V. T. in N. dicitur impleri. *Primus est, quando illud fit, quod Scriptura in loco allegato proprie & simpliciter praedixit, & intelligi vult, ut Matth. 1, 23.* 2. *Quando simile aliquid fit, quod cognitionem habet cum re praeterita, ut Matth. 2, 17.* 3. *Quando generalis doctrina in exemplo verificatur; seu conspicitur, & confirmatur.* 4. *Quando quod de membris scriptum est, de capite explicatur, vel contra. Observandum etiam, cum id fit in antitypo, quod dictum fuit de typo, Scripturam dici impleri. V. G. Exod. 12, 46. dicitur de agno Paschali; Os non confringetis in eo. Quia autem ille fuit typus Christi, verba ista impleri dicit in passione Johannes cap. 19. v. 36. licet non immediate de ea in V. T. fuerint prolata tanquam simplex praedictio.*

XXXVII. *Ceterum de hac formula, impletum est Scriptura, peculiari observationi occasionem praebet locus Jac. 2, 23. Et impletum est Scriptura, qua dicit, credidit Abraham Deo, & imputatum est illi ad justitiam.* Haec impletio certe ad nul-  
lum

lum propofitorum modorum referri potest, ſiquidem 1. nec  
fit collatio V. ac N. T. ſed impletio ipſa deſcribitur in V. T.  
nec in genere habetur prædictio, & prædicti impletio.  
2. Non conferuntur duæ materiæ ſimiliter. 3. Dictum il-  
lud *Credidit* &c. non eſt generalis doctrina, ſed ſpeciale te-  
ſtimonium de vera Abrahami fide, &c. Significat ergo a-  
pud *Jacobum all. l.* ſenſu peculiari, impleri idem quod per ex-  
petientiam conformari ac demonſtrari hoc ſenſu: Affir-  
maverat *Genef. 15, 6.* Scriptura de Abrahamo, quod vere  
crediderit, & hoc ipſi adjuſtitiam imputatum fuerit, quan-  
do vero fiduciali timore & obſervantia erga DEUM obtulit  
filium *Genef. 22, 10.* hoc egregio obedientiæ ſpecimine de-  
monſtratum fuit, ipſum veram habuiſſe fidem, adeoque  
Scripturam olim vere de ipſo iſtatam fuiſſe.

XXXVIII. Ex hæcenus dictis exurgit Porifma: *N. T.* Porifma,  
*eſt V. complementum*, & quidem ratione 1. *Predictionum*, quia  
quæ in illo fuerunt prænunciata, in hoc eventum fortiun-  
tur, *1. Cor. 5, 3.* 2. *Analogiæ*, quia quæ in V. T. contige-  
runt eorum ſimilia etiã in N. inveniuntur. *Matth. 24, 38.*  
3. *Typorum*, quia quæ in illo abumbrarunt futura, illorum  
antitypa in hoc conſpiciuntur *Ioh. 3, 14.* 4. *Exemplorum*,  
quia quæ in illo generatim docentur, horum exempla hoc  
ſuppeditat *1. Cor. 10, 11.* 5. *Explicationis*, quia quæ in illo di-  
cuntur obſcurius, in hoc illuſtrantur. 6. *Applicationis*,  
quia quæ in illo proponuntur, ad uſum ſalutarem in hoc  
accommodantur. Cavendum vero, ne in collatione V. ac  
N. T. ulterius, quam par eſt, progrediamur, id, quod  
Pontificii faciunt, quando colligunt, ut in V. ita & in  
N. T. eſſe viſibilem, infallibilem controverſiarum judicem.  
*Becan. de analogia V. & N. T. c. 11. q. 3. p. 268.* 2. Dari ſacrifi-  
cium non ſolum cruentum, ſed & incruentum in Miſſa.  
*Becan. cap. 13. num. 42. & 44.* 3. Hæreticos capitali ſupplicio  
afficiendos eſſe. *Becan. c. 26. num. 7.* & quæ ſunt alia,  
circa quæ fit illegitima ex V. T. ad N.  
progreſſio.

CAPVT

CAPUT VI.  
DE SENSU,  
quo dicta V. T. in N. allegantur.

CAP. VI.  
De sensu,  
quo dicta  
V. T. in N.  
allegantur.

XXXIX. Non uno & eodem modo dicta ex V. Test. in N. allegari, apud omnes non tantum Evangelicos, sed & alios Scripturæ Interpretes in confesso est. Communiter quadruplex statuitur sensus Scripturæ literalis allegoricus, tropologicus, & anagogicus secundum quos etiam allegatio V. T. in N. variet. Horum descriptiones passim videri possunt. *Beoanus in tractat. de analogia V. & N. T. c. i. q. 6.* docet, Christum & Apostolos, quædam citare ex V. T. in sensu literali, quædam in sensu mystico, quædam per accommodationem. Nos specialius ita procedimus: 1. *Dicta V. T. in N. aliquando citantur, ut literalis ac nativus verborum sensus retineatur*, secundum quem ad rem N. T. fuerunt per s. s. directa. Hujusmodi sunt testimonia de Christi natiuitate *Esa. 7, 14. Matth. 1, 22.* ingressu in urbem *Zach. 9, 9. Matth. 21, 5.* passione *Psal. 22, 19. Iob. 19, 24.* resurrectione *Psal. 16, 8. Actor. 2, 25.* ascensione *Psal. 68, 9. Eph. 4, 8.* sessione ad dextram Patris *Psal. 110, 1. Hebr. 1; 50.* Atque ad hunc modum allegationis pertinent, tum omnia dicta, quæ in suo nativo sensu relinquuntur, tum speciatim omnia plana ac perspicua Vaticinia V. T. quæ de nullo alio, nisi de Christo fuerunt prolata, item prædictiones de vocatione gentium. Ne autem absque causa confugiatur ad accommodationes typicas, allusiones &c. probe advertendum est, imprimis in iis, quæ ex V. T. de Christo allegantur, an literalis sensus Christum concernat. Ad hanc rem, procul dubio certissimum est medium, si conjugatur indagatio textus Vet. Test. & consideratio allegans in Nov. Test. Quod enim dictum in Nov. Test. citatur, & ad Christum disertis verbis refertur ex textu Vet. Test. qui quod de alio non possit literaliter intelligi, ex circumstantiis textus apparet, illud sensu literali de Christo est intelligendum. Quod vero dictum citatur, ex tali Vet. Test. textu, cujus circumstantiæ repugnant, nec patiuntur, proprie de Christo illud intelligi,

telligi, monstrant autem, de quo intelligatur, illud per alium sensum præter literalem ad Christum accommodatur. Quod porro dictum de Christo in N. T. ex V. disertis verbis allegatur, ex textu tali, qui non repugnat, literaliter de Christo intelligi, sed tamen de aliis etiam posset sine absurditate accipi, illud potius literaliter ac proprie de Christo intelligendum est, quam de alio, siquidem tutissimum est, in explicando Ver. Test. Christum, Evangelistas, & Apostolos Interpretes infallibilis sequi. Quas regula cordati omnes quin admittant, non est, quod dubitetur.

XL. 1. *Interdum generalis doctrina ad specialem materiam applicatur.* V. G. *Psalms 69.* est vaticinium de Christi passione, in quo 1. de injuriis Judæorum atrocissimis conqueritur. 2. Auxilium divinum implorat. 3. Hostibus suis exilium vaticinatur. 4. Denique DEO gratitudinem pro victoria promittit. Verba tamen generalia *v. 25. Fiat domus eorum deserta, & in tabernaculo illorum nemo inhabitet,* quæ loquuntur de Judæis in genere, Petrus speciatim applicat ad Judæ exitum. *Actor. 1. 20. Scriptum est enim in libro Psalmorum fiat commoratio ejus deserta, & non sit, qui in habitet in ea.* Nec injuria Petrus mutat numerum pluralem in singularem, quoniam in Juda proditore pœna perfidiæ initium sumsit, ac peculiariter divina vindicta fuit conspicua. Idem dicendum videtur de *Psal. 109. v. 8.* quem Petrus cum *Psal. 69, 25.* immediate connectit. Habetur quidem ibi etiam singularis, intelligi tamen vaticinium de tota Judæorum gente, apparet ex *seq. v. 9. 10. 11. 12. 13.* in quibus pœna generalis describitur.

XLI. 3. *Aliquando dictum speciale de una re ad rem similem aliam in allegatione applicatur.* V. G. *Esa. 6, 9.* de populo Judaico sui temporis judicium divinum Propheta exponit: *Vade, & dicas populo huic.* Tamen hoc dictum compleri dicitur in diversorum temporum autoribus *Matth. 13, 7. Actor. 28, 26. Rom. 11, 8.* Ita *Esa. 29, 13.* dicitur de Judæis tempore Prophetæ viventibus: *Appropinquavit populus iste ore suo, & labiis suis honoraverunt me.* Nihilominus tanquam vaticinium a Christo ad suos auditores applicatur *Matth. 15, 7.*

E

Hypo-

*Hypocrita, velle de vobis prädixit Esaias.* Solent hæc allegationes ad eum modum referri, quo generalis doctrina in singularibus factis comprobatur, quatenus nempe in allatis testimoniis generale quoddam later de inobedientibus Verbi divini auditoribus, negari tamen nequit, proprie sermonem esse de populo Judaico tempore Prophetæ viventis, speciatim. Usu enim venit, ut locus aliquis de singularibus & individuis subjectis loquatur, ratione tamen causæ & iustitiæ, cujus lex perpetua & immutabilis est, generalem doctrinam habeat. Estque lex illa fundamentum, propter quod, locus de uno subjecto prolatus de alio similiter se habente tanquam vaticinium proferatur.

**XLII.** 4. *Aliquando speciale dictum de una re ad aliam magis peregrinam applicatur certam obrationem.* Exemplum est 2. Corinth. 8, 15. ubi Apostolus, postquam monuit, ut Corinthiorum copia aliorum Christianorum inopiæ succurreret, addit: *Quemadmodum scriptum est: Qui multum habebat, huic nihil super fuit, & qui paulum habebat, id nihilo minus habuit,* accommodans dictum de Mannæ historia, ad beneficentiam Christianorum in N. T. propter perpetuam DEI voluntatem de Ecclesiæ sustentatione. Dubium est, quomodo Paulus Rom. 10, 6. alleget locum Deut. 3, 12. ad probandum justificationem per fidem in Christum, cum ille de lege loqui videatur. Quidam allusionem saltem agnoscunt, sed evidentia verborum Apostolicorum repugnat: *Cate-rum, qua ex fide est iustitia, ea sic loquitur.* Alii putant esse argumentationem a minori ad majus, a lege perspicuitatis ad perspicuitatem Evangelii, sed repugnat oppositio testimoniorum de lege & Evangelio v. 5. & 6. Alii Mosis verba intelligunt de tota doctrina divina comprehendente Legem & Evangelium. Sed & hic obstare videtur oppositio, quæ vult, quod legis iustitia sit impossibilis, iustitia autem per Christum facilis. Nec tamen negari potest, Mosen in toto contextu de lege ejusque observantia quoque verba facere v. 10. & 16. Optime ergo dicitur, Mosen, etiamsi in genere de tota doctrina divina agat l. alleg. tamen speciatim respiciat ad Evangelium, & ad fidem in Mesiam, quoniam v. 10. loquitur de conversione cordis ad DEUM, quæ  
sine

sine fide nulla est, obedientiam autem erga Legem habet sequentem, ut fructum. Ergo quod pronunciat Moses de integro, id Paulus Interpres ostendit, de quo illius membro sit intelligendam. Hæc ergo allegatio ad nostram hanc observationem non pertinet.

XLIII. 5. *Interdum speciale dictum ad generalem materiam transfertur.* V. G. Paulus ostensurus, sermonem crucis Evangelicum iis, qui pereunt, stultitiam esse, allegat testimonium *Esa. 29, 24.* inquit, *scriptum est enim, perdam sapientiam sapientum &c.* Atqui locus ille specialis est, Judæos concernens. Nimirum speciale de Judæis vaticinium transfert Apostolus ac infideles generatim, propter Justitiam DEI, qui, ut Judæis immorigeris non pepercit, ita nec aliis parcit. Sic *Esa. 28, 11.* de Judæis inquit: *Lingua aliorum loquetur &c.* Hoc dictum Apostolus *1. Corinth. 14, 1.* allegat ad docendum, quod linguas DEUS adhibeat signi vice incredulis, hypothese nempe ad thesin transferens. Ita *Levitic. 11, 44. cap. 19. v. 2.* mandatum DEI habetur; *Sanctificate vos, & estote sancti, quia sanctus, & ne polluatis animas vestras per reptilia.* Petrus vero *1. Epistol. 1, 16.* a sanctitate Judæorum ceremoniali progrediens ad sanctitatem moralem piorum in genere dictum illud allegat. Habetur tamen in eo fundamentum sanctitatis in communi, sanctitas DEI, atque insuper sanctitas ceremonialis sanctitatem moralem præsupposuit, cujus etiam typus fuit.

XLIV. 6. *Interdum dictum allegatur ex V. T. non de eo, quod immediate docet, sed de eo, quod istud includit.* Exemplum est *Act. 13, 13.* ubi Paulus allegat pro confirmanda Christi resurrectione testimonium, *Psal. 2, 5.* *Tu es filius meus, hodie genui te,* dicens illud per resurrectionem esse impletum. Loquitur quidem Psalmus immediate de generatione filii DEI ab æterno, quoniam tamen per resurrectionem Filius Dei manifestatus est Christus *Rom. 1, 24.* recte ad illam explicandam allegatur. Quidam tamen convenienter vocem Pauli *divagationis* accipiunt de missione & exhibitione Filii DEI ab æterno geniti propter rationes e scopo

Apostoli ex contextu petitas. Aliud exemplum occurrit, *Esa. 53, 4. & Matth. 8, 17.* Dicitur Propheticum loquitur de peccatorum expiatione, teste etiam Petro *1. Epist. 2, 24.* Matthæus vero illud accommodat ad sanationes miraculosas, & quidem non per allusionem saltem, quoniam diserte dicitur, *ut impleretur, quod dictum est,* & ratio specialior ex textu sumi potest. Imprimis respiciendum est ad ejectionem spirituum malorum per Verbum. Hoc, enim opere propria virtute effecto Christus vel maxime ostendit, se revera esse Dominum Diabolorum, omniumque adeo hostium infernalium ac spiritualium. Inter hos autem peccatum quoque est. Igitur, dum dæmonia ejecit, consequenter implevit etiam vaticinium de expiandis & auferendis peccatis nostris, quæ originaliter per Diabolum in mundum introierant, ac propter quæ imperium ille in homines obtinet. Quod si morborum curationem attendamus, militat connexio effecti & causæ. Ex peccatis morbi ortum trahunt, quorum sublatio illorum expiationem significavit.

**XLV. 7.** *Interdum dictum typi e V. T. ad antitypum in N. transfertur.* Exemplum supra habemus ex *Job. 19, 36.* ubi dicitur de agno Paschali allegatur de ejus antitypo Christo: Aliud exemplum occurrit *2. Sam. 7, 14. & Hebr. 1, 5.* Hæc enim verba, *Ego ero ei in Patrem, & ipse erit mihi in filium,* de Salomone proferuntur in V. T. quod non obscure ex ipsis textus visceribus colligi potest, aliisque ex locis, utpote *2. Paral. 22, 9. 1. Reg. 5, 5. &c.* in N. vero T. ad Christum accommodatur. Salomon typus erat, Christus antitypum. Licet nonnulli secundum sensum literalem etiam in V. T. *2. Sam. 7, 14.* de Christo sermonem esse sentiant, qui omnia membra concionis ad Davidem de illo unice explicent, & urgere possunt evidentiam allegationis, Apostolicæ: *Cui dixit unquam angelorum.* Aliud est *Osea 11, 1. & Matth. 2, 15.* Apud Prophetam sermo est de Israelitico populo, apud Evangelistam de Christo. Ille filius scilicet adoptivus, ratione suæ ex Ægypto educationis, typus fuit Christi, filii naturalis. *Junius* quidem *parallel. 6, 1, 1.* admodum operosus est, ut

probet utrumque locum ad unum & eandem historiam pertinere circa typum, allegoriam, aut analogiam. Sed ratio evidens est in contrarium. *Qui apud Oseam vocatus est ex Ægypto secundum sensum literalem, ille ingratitude reus est, ut patet ex contextu Prophetico. Atqui Christus non est reus ingratitude. E. non est secundum sensum literalem ille Filius ex Ægypto vocatus apud Oseam.*

XLVI. 8. *Interdum quod in V. T. de corpore Ecclesia dictum est, in N. ad caput Christum applicatur.* Hujus observationis exemplum profertur ex locis jam allatis, *Osea 11, 1. & Matth. 2, 15.* Non enim ut causa allegationis Evangelicæ detur, locum solum haberi videtur ratio typi & antitypi, sed & connexio capitis & corporis mystici, hoc modo, quod Christus, ut caput egressus est una, populo egrediente ex Ægypto. Sed enim Evangelista non tribuit Christo, quod in V. T. ex Ægypto vocatus fuerit, quo hæc sententiæ collimat: Verum V. T. locum ad egressum Christi ex Ægypto in N. T. accommodat. Potius ergo acquiescendum in præcedente explicatione, dicendumque Ecclesiæ ut corporis egressum typum fuisse egressum Christi, ut capitis. *Marloratus* in N. T. aliud exemplum suppeditat ex *Deut. 18, 17. & Act. 3, 22.* Loqui videtur Moses de toto ministerio Ecclesiastico, Petrus autem verba ejus ad caput Christum accommodat. Sed recte *Junius l. 1. parallel. 89.* statuit, proprie & unice in loco Mosaico de Christo sermonem esse, tum propter textus circumstantias, tum propter allegationem Petri *Act. 3, 22.* & Stephani *Act. 7, 37.* Licet enim ibi Christus non expresse ponatur, non tamen dubium est, ex *v. 52.* Stephanum ejus causa, quem & cujus Evangelium Judæi prosequabantur, dictum Mosis allegasse.


XLVII. 9. *Interdum contra mentem auctoris ex V. T. in N. dictum allegari videtur, sed revera nulla est pugna.* E. G. allegatur *Matth. 19, 5.* ex *Genesi 2, 24.* dictum illud: *Relinquet homo patrem & matrem, sed refertur non ad Adamum, cui in Genesi tribuitur, verum ad DEUM loquentem. Respond.* Quod Adam locutus est ex instinctu ac directione DEI illud recte ac sine pugna DEO ipsi, ut primo auctori

tribuitur. Rom. 14, 11. dictum Esai. 45, 25. *Per me juravi, flet et mihi sese omne genu,* ad Christum refertur, cum loquatur de liberatione Judæorum ex captivitate, & sit loquentis non Christi, sed sacrosanctæ Trinitatis. Respond. Imo Esaias part. priori cap. vaticinatur de liberatione e captivitate, in posteriori autem ad quam dictum illud pertinet, de Regno Christi, de quo etiam, *Phil. 2, 10.* idem reperitur. *Matth. 15, 35.* dictum Psalmistæ *Psal. 78, 2.* *aperiam in parabolis os meum,* allegat, & transfert ad Parabolas Christi, cum Psalmista *d. l.* enarret historica non ficta, qualia Christus protulit. Resp. nomen Hebræum & Græcum significat in genere eruditas sententias, proverbia, dicta monitoria. Sub his continentur sermones, & qui historias, & qui parabolas speciatim dictas continent, atque ad usum transferunt. Ergo & David & Christus per parabolas locutus est, ille historiis, hic fictis, sed in usu communi continentibus doctrinas salutares proponens. Pertinetque hoc allegationis exemplum ad observat. 3. Quoniam impleri dicitur V. T. quatenus ejus, quod David facit, simile a Christo factum est. 2. *Corinib. 4, 13.* Paulus allegat *Psal. 116, 10.* ita: *Credidi ideo locutus sum.* Atqui in Psalmo contrarium in sensum habetur, *quia locutus sum.* Resp. Junius *l. 2. parall. 27.* dicit, in sensu non esse mutationem, sed Psalmistam saltem ab effectu ad efficientem confirmandam progredi, Paulum ab efficiente ad effectum, ordine mutato. Simplicius dicitur, particulam Hebræam non solum *quia,* vel *postquam,* sed & *ideo* significare. Ita Pagnin. etiam & alii reddiderunt, *propterea.* *Jacob. 2, 23.* dictum *Genes. 15, 6.* *Credidit Abraham DEO, & imputatum est ei ad justitiam & contra Genesin,* & contra Paulum *Rom. 4, 3.* allegare videtur, utens nimirum eo ad probandam justificationem ex operibus. Resp. Scopus *Jacobi* non est probare ex hoc dicto, quod Abraham fuerit per opera justificatus, (hoc jam probaverat *v. 21.* ex *Gen. 22, 10.*) sed ostendere vult ac docere, quod Abrahamo per oblationem filii sui fidem suam vivam manifestante, apparuerit re ipsa, vere scriptum de illo esse. *Credidit Abraham &c.* Ergo non repugnat Genesi. Deinde agit non de fiducia in meritum Christi, sed de professione reli

religionis, non item, de justificatione peccatoris coram  
tribunali divino, sed veri Christianismi coram Ecclesia  
comprobatione, quod facile est ex contextu ostendere.  
Ergo non repugnat Paulo.

**XLVIII.** Ex his observationibus sequentia colligi. Porismata.  
mus Porismata: 1. *Non temere ad accommodationes typicas est  
transiliendum, ubi nulla firma apparet ratio, probans sensum lite-  
ralem alium esse, quam quo dictum in N. T. allegatur.* Peccavit  
hac in parte Calvinus, quando Psalmos literaliter intelligit  
de Davide & aliis plurimos, quos tamen de Christo  
diserte allegant Auctores in N. T., nec firma afferri potest  
ratio, cur non literaliter de Christo sint intelligendi. Ta-  
les sunt *Psal. 8. Ps. 16. Ps. 45. Ps. 68. Ps. 69. &c.* Similiter Cal-  
vinus agit cum aliis V. T. vaticiniis, ut *Gen. 3, 15. Deuter. 18, 15.  
Esa. 61, 1. Zach. 9, 9. Zach. 13, 7.* aliisque, ut non immerito eo  
nomine a Dn. D. Hunnio p. m. sit reprehensus, infeliciter ve-  
ro a Pareo Calviniano defensus. 2. *Non concedendum, aucto-  
res N. T. dicta V. vel peregrino aut contrario sensu allegare propter  
memoriae lapsum, & ignorantiam, vel etiam detorquere a  
sensu genuino.* Ab illo non procul abest Erasmus in annot.  
*N. T. c. 1. & 27.* licet humanos Scriptorum lapsus excuset.  
Hoc reperire est apud Calvinum, quando dicit *comment. Psal.  
68.* Paulum dictum *v. 19. Ephes. 4, 8.* subtilius ad CHRISTVM  
deflexisse, & ex *Psal. 8, 5. in Epist. Hebr. 2.* ad Christi exinan-  
tionem trahi, quod de praestantia humani generis dictum  
sit, & *cap. 19, 24. Johann. locum Psal. 22, 19.* de vestibus distri-  
butis videri intempestive trahi ab Evangelistis ad CHRISTI  
passionem, neglecto suo nativo &c. Atqui nullum Cano-  
nicum ac divinum potest esse erroneum, & nullus divini-  
tus directus interpretatur divina. 3. *E. di-  
versa dictorum Vet. Test. in Nov. accommodatione nec potest, nec de-  
bet, diversitas ac pluralitas sensuum literalium colligi.* Non pot-  
est, siquidem aliud est sensum alicujus dicti literalem, ge-  
nuinum, ac nativum exponere, aliud praesupposito illo, rem  
dicto comprehensam, dictumque adeo ipsum diversis mo-  
dis accommodare, & ad plures usus adhibere. Posito uno  
simplici sensu varias ad doctrinas dictum inservit, ut praxis  
ipsa

ipsa docet. Ergo a pluralitate usuum ad pluralitatem sensuum non valet consequentia. Utque unum instrumentum ad varios effectus conducit, unus ager ad varios fructus ferendos colitur, unum semen ad diversos cibos præparandos adhibetur, ita unum unius sensus dictum ad varios usus accommodatur. Non debet, quia unius dicti, Biblici unicus est literalis ac genuinus, quod facile ostendi potest. *Omnia dicta multiplicis sensus sunt ambigua, nec certam pariunt intelligentiam. Atqui dicta Scriptura debent esse certa & minime ambigua. Ergo. Omnis sensus literalis fuit immediate ex verbis inter se coherentibus. Atqui præter unicum alius sensus non fuit immediate ex verbis inter se coherentibus. E. præter unicum alius sensus non est literalis. Major est ipsa sensus literalis definitio. Minor constat lex modo naturali percipiendi dictas ac scriptas sententias, tum ex fine illorum, qui est, ut sint certa nota certorum conceptuum ac rerum. Proinde improbabile docent, unius videlicet loci sensus literales esse posse plures, quo ipso Scripturæ sacræ perspicuitas, certitudo, autoritas, & officium in dubium vocatur. Videatur Belarminus l. 3. de P. D. c. 3. Recan. part. 2. Theol. Scholast. tom. post. c. 3. q. 5. p. 35. ubi quidem tria argumenta pro multiplici sensu proponit, sed quæ examen veritatis sustinere nequeunt. Nos firmiter statuimus, si autores profani sententiis prolatis ac scriptis incertis, ac propter plures sensus ambiguus intellectum audientium & legentium non turbant, sed unum certum quid notis illis significant, multo minus DEUM Scripturam variis sensibus ambiguam proposuisse, quam voluntatis suæ indicem, & fidei canonem infallibilem nobis dedit.*



CAPUT VII.  
DE CONJUNCTIONE  
plurium locorum.

**XLIX.** Non solum advertimus dicta V. T. seorsim in **CAP. VII.**  
N. allegari, sed multoties occurrit, ut plura testimonia De conjun-  
conjugantur. Quod cum diversis modis fiat, hac etiam ctione plu-  
dere operæ pretium est observationes colligere. 1. In alle- rium loco-  
gatione V. T. interdum ex pluribus dictis unum compositum testimo- rum,  
nium constituitur. V. G. Rom. 3, 13. & sequent. plura dicta  
V. T. ex Psal. 14, 3. Ps. 5, 10. Ps. 10, 7. Esa. 59, 7. Ps. 36, 3. coacer-  
vantur, & tanquam unum testimonium proferuntur. Ex  
Esa. 65, 7. & Jerem. 7, 11. Christus unum testimonium com-  
ponit. Matth. 21, 23. Scriptum est, domus mea domus orationis vo-  
cabitur: at vos fecistis eam speluncam latronum. Ex cap. 8. 14. &  
c. 28, 16. Esaia. Paulus unum testimonium profert. Rom. 9, 33.  
Ecce pono in Sion lapidem offendiculi. Esa. 29, 14. & c. 33, 28. in u-  
num confociantur 1 Cor. 1, 18. & 19. Testimonium, quod  
allegatur, 1 Cor. 15, 54. videtur esse ex Esaia 25, 7. & Os. 13, 14.  
conjunctis. Ut unum allegantur 2 Cor. 6, 16. 17. 18. loca Le-  
vit. 26, 11. Esa. 52, 11. & Jerem. 31, 1.

**L.** 2. Uni interdum assignatur, quod ex pluribus est peti-  
tum. V. G. Matth. 21, 5. ex Zachar. 9, 9. & Esa. 62, 11. unum fa-  
cit testimonium. Et tamen hoc uni tribuit, quando v. 4.  
ait: Hoc totum factum est, ut adimpleretur, quod dictum est per  
Prophetam, nisi numeri enallage sit statuenda. Quidam uni-  
cum locum Zachariæ parallelum faciunt. Sed negari vix  
potest, quod verba illa: Dicite filie Sion, ex Esaia sint de-  
sumpta. Peculiarem observationem meretur locus Rom. 3, 4.  
Ibi enim Paulus est Psal. 116, 11. sine allegationis mentione mu-  
tuo sumit hæc verba: Omnis homo mendax, mox vero addit:  
sicut scriptum est, ut justificeris in sermonibus tuis ex Psal. 51, 6.  
Itaque illud, quod verbotenus in Psalmo extat, ex alio pro-  
bat per consequentiam. Fortassis illud: Omnis homo men-  
dax, ut proverbium proponit, non simpliciter ut testimo-  
nium Scripturæ. Alias verba: Sicut scriptum est, potius, ut  
videtur, omiſſa fuissent, aut præmissa.

LI. 3. Interdum plura dicta distinctim junguntur ordine. Et quidem vel generatim nomine præposito, aut omisso, ut *Marc. 1. 2. & 3.* Sicut Scriptum est in Prophetis, & ponuntur duo testimonia unum ex *Malach. 3. 1.* alterum ex *Esai. 40. 9.* Ita *1. Corinth. 3. 19.* Scriptum est enim, qui comprehendit sapientes astutia ipsorum (*Job. 5. 15.*) v. 20. Et rursus, Dominus novæ cogitationes sapientium, quod sint vana (*Psal. 94. 11.*) Ita *Iob. 18. 36.* Facta sunt hæc, ut Scriptum impleretur, os non comminuetur ex eo (*Exod. 12. 47.*) v. 37. Et rursus alia Scriptura dicit, videbunt, in quem pupugrunt (*Zachar. 12. 10.*) ubi conjunguntur dictum typicum, & simpliciter propheticum, licet Calviniani sine causa posterius quoque ad typica referant. Vel expressis diversis nominibus. Ita Paulus *Rom. 9.* conjungit testimonia *Osee & Esaiæ*, & utrumque expresse nominat, v. 25. & 27. Et *Rom. 11.* conjungit nominibus expressis *Mosen v. 19. & Esaiam v. 20.* Vel ita, ut unum dictum in dictum in genere allegeret, alterum speciali nomine addito V. G. Paulus *Rom. 15.* primo allegat v. 9. *Psal. 18. 30. & v. 10. Deuter. 32. 43. & v. 11. Psal. 117. 1.* formula generali, scriptum est, & dicit, v. vero 12. dictum *Esaiæ* allegans nomen ejus exprimit.

LII. 4. Interdum plura dicta ab uno autore in N. T. distincte ponuntur, ab altero ut unum proferuntur: V. G. *Matth. 22. a Christo præceptum de DEO diligendo ex Deuter. 6. 5.* proponitur v. 37. & de proximo ex *Levit. 19. 18.* seorsim v. 39. Idem habetur *Marc. 12. v. 30. & 31.* At apud *Lucam. c. 10. v. 27.* Legis peritus illa duo præcepta, ut unum profert. Ex his observationibus resultat Porisma: Quando sermo est de Canonica librorum Bibliorum autoritate, non tam respiciendum est ad auctorem secundarium, quam ad primarium & principalem. Pontificii, ut traditionum Ecclesiæ necessitatem evincant, inter alia communiter urgent, quod ex Scriptura sine traditione non constet firmiter, Evangelium Matthæi esse Matthæi &c. Indeque porro imperfectionem Scripturæ colligunt. Sed elumbe est hoc argumentum. Nam i. non tangitur status controversiæ. Quæritur, an Scriptura omnia in se contineat ad salutem, quoad credendum & vivendum, necessaria. Atqui Evangelium V. G. Matthæi esse Matthæi, non est dogma ad salutem necessarium. Quæritur

Porisma.

ritur de articulis fidei. Atqui illud dogma non est articu-  
 lus fidei, sed historia. 2. Inscripto indicat, Matthæum  
 esse autorem Evangelii sui, sine peculiari traditione non-  
 scripta Ecclesiæ Romanæ Catholicæ. 3. Sed non multum  
 interest, qui sit autor alicujus libri Biblici, quandoquidem  
 autores N. T. cumulativè dicta V. T. allegant, jam pluri-  
 bus autoribus V. T. nominatis jam uno, jam nullo, rati  
 nimirum, cum certum sit, V. T. libros per S. S. dictatos  
 esse, parum laborari debere, de autoribus secundariis.  
 4. Addatur hoc argumentum: *Nullum scriptum aliud un-  
 quam jure accusatur imperfectionis ex eo, quod non ipsum probat  
 a suo autore se conscriptum esse. E. nec sacra Scriptura accusari  
 debet imperfectionibus, ex eo, quod non probat Evangelium V. G.  
 Matthæi esse a Matthæo scriptum.* Consequentiam nemo pius  
 negabit. Antecedens est negativum. Afferant ergo ex-  
 emplum Pontificii, ad destruendum universalitatem. Nos  
 ad inductionem provocamus. V. G. Quis Organon Logi-  
 cum Aristotelis imperfectum esse duxerit, si ex eo non pos-  
 sit certo probari. Aristotelem ejus esse autorem, & si di-  
 xerit, jure tamen regeretur, perfectionem æstimandam  
 esse ex instrumentis Logicis, non ex autore scriptionis.  
 Ita res habet in aliis.

## CAPUT VIII. DE USU ALLEGA- TORUM.

LIII. Ultimo loco observandus est usus, & scopus, CAP. VIII.  
 ad quem ex V. T. dicta in N. allegata adhibentur. De usu  
allegato-  
rum.  
 1. *Alle-* De usu  
allegato-  
rum.  
 gamur aliquando V. T. dicta ad ostendendam DEI in predicando ve-  
 ritatem. Exempla passim occurrunt in historia Evangeli-  
 ca de nativitate, passione, morte, resurrectione & ascen-  
 sione CHRISTI. Aliquando ad vitam formandam. V. G.  
 1. *Corinth. 10, 7.* adducit Apostolus dictum *Exod. 32, 6.* de cultu  
 simulacrorum apud Judæos, ut horum exemplo ab impie-  
 tate Corinthios deterreat. Aliquando ad illustrandum. Exem-  
 plum est *Galat. 4, 10.* ubi Paulus aducit locum *Genes. 21, 19.* de

ejectione Agar & Israelis per allegoriam veræ Ecclesiæ libertatem declarans. *Aliquando ad probandum dogma.*

LIV. 2. *Quando dictum V. T. ad dogma aliquod probandum in N. T. allegatur, interdum est ipsa conclusio, interdum enunciationem inferentem suppediat. V. G. 1. Cor. 1. 31. gloriationem veram non esse, nisi in Domino, probatur testimonio Jer. 9. 24. ubi ipsa conclusio continetur. At Christus disputans cum Sadducæis Matth. 22. 32. medium terminum petit ex Exod. 3. 6. ad confirmandam mortuorum resurrectionem, hunc in modum. Quorumcunque DEUS est DEUS, illi vivunt, Abraham, Isaaci & Jacobi DEUS est DEUS. E. illi vivunt, cujus contrarium statuebant adversarii. Sic Rom. 4. 3. Paulus dictum de justificatione Abrahami per fidem sine operibus ex Genes. 15. 6. allegat, & ex eo ita argumentatur: Quomodo Abraham justificatus est, eo modo omnes peccatores justificantur. Atqui Abraham justificatus est sine operibus per fidem. Ergo eodem modo omnes peccatores, qui justificantur, justificantur. Majorem præsupponit, ut certum principium ex identitate voluntatis divinæ circa peccatores. Minorem probat ex dicto V. T. Proponitur porro argumentatio vel ad veram sententiam confirmandam, vel ad falsam refutandam, vel ad adversarios confundendos. Exemplum primi generis est in loco jam alleg. Secundi Job. 10. 34. ubi allegat Christus contra Judæos Psal. 81. 6. Dixi, Vos Dii estis, & argumentatur hunc in modum: Si magistratus recte dicuntur Dii sine blasphemia multo magis sine blasphemia Christus dici poterit filius DEI. Prius est verum. Ergo & posterius, contra sententiam Judæorum, propter blasphemiam Christum volentium lapidare. Tertii: Matth. 22. 24. Laboraverant Pharisei, quomodo Christum in sermone caperent. Ergo ipse, ut irretire volentes confunderetur, proponit questionem de Messia, cujus fit filius: Respondentibus illis Davidis, argumentatur ex Psal. 110. 1. Filius non vocatur a Patre Dominus. Messias vocatur a Davide Dominus. E. non est ipsius filius, atque ita committit Judæos cum Psalmista, confunditque, qui ipsum cupiebant confundere.*

LV. 3. *Interdum unum dictum V. T. ad diversos usus ab autoribus N. T. diversis adhibetur, V. G. Matth. 8. 17. dictum Es. 53. 4. adhi-*

adhibetur ad ostendendam harmoniam vaticinii & comple-  
menti de expulsionem dæmoniorum, & sanatione ægroto-  
rum. *1. Petr. 2, 24.* idem dictum reperitur ad explicandam  
Christi satisfactionem pro peccatis. Dictum *Psal. 110, 1.* ad-  
hibetur *Matth. 22, 34.* ad capiendum Phariseos. *Act. 2, 34.*  
ad probandam ascensionem in cælos *Hebr. 1, 13.* ad confir-  
mandam divinam majestatem carni Christi communicatam.  
Locus *Genes. 15, 6.* affertur a Paulo *Rom. 4, 3.* ad probandam  
justificationem ex fide, a Jacobo *c. 2, 23.* ad illustrandam sen-  
tentiam de operibus professioni fidei necessariis ad verum  
Christianismum arguendum.

LVI. Colligimus ex dictis Porisma: *Scriptura sacra* Porifinata,  
*V. T. Hebræo & N. Græco comprehensa, est unica norma ordinaria*  
*& perpetua controversiarum Theologicarum, & regula veram Ec-*  
*clesiam cognoscendi. Controversias intelligimus eas, quæ sunt*  
*de rebus ad salutem necessariis. Ecclesiam consideramus*  
*non præcise ratione salvificæ fidei, sed ratione doctrinæ,*  
*quæ quandoque est, ubi regeneratio, conversio, atque*  
*adeo verus Christianismus non est, licet hic sine illa, sal-*  
*tem quoad fundamentalia esse nequeat. Probatur thesis.*  
*Ex quocunque per se, ordinariæ, perpetuo, Christus & Apostoli ve-*  
*ram doctrinam confirmarunt, falsam resutarunt, vivendi modum*  
*proposuerunt, & præterea ex nullo alio, id nobis etiam esse debet*  
*norma controversiarum Theologicarum, & regula veram Ecclesiam*  
*probandi. Atqui verbum DEI Scriptura sacra canonica compre-*  
*hensum ita se habet. Ergo, Major prob. quoniam nec nostrum*  
*est illorum normam respuere, nec aliam superaddere.*  
*Min. prob. partim exemplis in observationibus prolatis, par-*  
*tim in inspectione N. T. in quo praxis Christi & Apostolo-*  
*rum continetur, Item, Si V. T. fuit sufficiens Christo & Aposto-*  
*lis ad resutandos hæreses, nobis etiam, & multo magis Verbum DEI*  
*V. & N. T. comprehensum sufficiens principium disputationum Theo-*  
*logicarum. Prius est. Ergo & posterius.*

LVII. Pontificii interdum obtulerunt sed ad disputa-  
tionem cum Evangelicis instituendam ex sola Scriptura sa-  
cra. Ita Pistorius, uti in *Actis Colloquii Badensis* videre est, *p. 5.*  
*10. 168. &c.* ex sola Scriptura pollicetur se disputaturum, sed  
æquivocatione ludit. Non enim vult articulos fidei secun-  
dum

dum Scripturam examinare, sed generatim probare, Romanam Ecclesiam esse veram Ecclesiam, ut postea facili negotio possit argumentari: *Articuli fidei, qui creduntur a vera Ecclesia, sunt veri. Atqui Articuli, qui creduntur a Romana Ecclesia, sunt articuli, qui creduntur a vera Ecclesia. E. sunt veri.* Ut ita ab Ecclesia ad doctrinam non a doctrina ad Ecclesiam fiat processus. Atqui apud Christum & Apostolos ex sola Scriptura disputare, est ex ea de dogmatibus fidei iudicium ferre, & singula ad illam tanquam stateram appendere.

LVIII. Communiter Pontificii Scripturam sacram dicunt se habere pro fidei norma, sed partiali. Sed eos non serio loqui probant 1. *hypotheses de Scriptura.* Statuunt enim eam esse ambiguam, in varios sensus flexilem, cujus sensus ab Ecclesia Romana quoad nos dependeat. Statuunt enim eam esse non vocem iudicis, sed materiam litis, ut locuti sunt in Colloquio Wormaciensi postremo, *Heerbrand. in orat. de vita & morte Brenii p. 40. &c.* 2. *Ipsam factum.* Non enim nititur in disputationibus tam Scripturæ testimoniorum certitudine, quam Patrum explicatione, & Conciliorum & Pontificum decisione. 3. *Postulata.* Volunt disputare ex Scriptura cum Evangelicis, sed conditionate. Conditiones sunt hæc: *Evangelici debent 1. omnes eos libros, ut Canonicos admittere, quos ipsi admittunt. 2. Versionem latinam undiquaque accipere, & secundum eam fontes corrigere. 3. Eam in genuino, sed illo sensu usurpare, quem ex S. S. partibus Ecclesia Romana, & ejus caput Papa habet, proponit, commendat.* Sine quibus non possint habere veram Scripturam. Videatur *Becanus l. supra alleg.* Egregia postulata, quæ si ex parte saltem Christus admisisset petentibus Phariseis, nunquam de illis victoriam in disputando reportasset.

LIX. Qui vero Evangelici has conditiones servarent? Agerent 1. *contra pietatem & observantiam Scripturæ, quæ sensu certo constat, nec indiget Papa inferente.* 2. *Contra Christi & Apostolorum praxin, qui sine illius ope feliciter contra adversarios disputarunt.* 3. *Contra justitiam.* Norma enim communis non debet unius litigantium partis iudicio subjacere, in fraudem partis alterius. 4. *Contra prudentiam.*

Ante

Ante pugnam victos se dederent Evangelici Pontificiis, si non nisi Papali sensu Scriptura foret intelligenda. Neque enim Papa contra se ac suam Ecclesiam Scripturam, nisi sui immemor interpretabitur. 5. *Contra praxin etiam Pontificiorum.* Sive enim inter se disputent, sive cum Evangelicis, sensum verum Scripturæ ex antecedentibus & consequentibus, ex fontibus, ex scopo &c. eruere conantur. Aut ergo concedant Pontifici, ut legitimis mediis, interpretationibus adhibitis, quæ in aliis etiam scriptis aliarum Facultatum sunt consueta, & Canonicis libris, tanquam certo principio Theologiæ disputetur, aut nullus Evangelicorum bona conscientia cum iis disputare poterit.

LX. Non immerito inconstantia accusantur hic Pontifici. Dicunt Scripturæ genuinum sensum esse illum, quem proponit Romana Catholica Ecclesia per caput suum Pontificem, & nihilominus tamen in disputationibus commentariis aliisque scriptis Theologicis neglecto Pontifice sensum venantur adhibitis interpretandi mediis, contingitque multoties, ut in sensu dictorum sacrorum constituendo in diversas sententias abeant. Si infallibilis Scripturæ interpretis est Pontifex, quid opus magno labore, ad illius sensum quærendum? quæ causa circa illum dissentendi? Nimirum conscientia constricti fateantur Pontifici, eum, qui ex sacra Scriptura disputare velit, non a Pontificalis pectoris scrinio pendere, sed Scripturæ sensum ex Scriptura legitimis mediis quærere debere.





Fr. Edm.

St. Maria

St. Michael

St. Johannes

St. Peter

St. Paulus

St. Agathe

St. Barbara

St. Ursula

St. Katherina

St. Margarethe

St. Elisabeth

St. Anna

St. Barbara

St. Barbara

I, A

